DE *QVÎ* LOCALIS MODALIS APVD PRISCOS SCRIPTORES LATINOS VSV

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OTTO KIENITZ

GORLICENSIS

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXXIX

Paginarum numeri sunt supplementi decimi annalium philologoricum.

Quî formae pronominis et interrogatiui et relatiui et indefiniti qui fuerit usus et quae origo, ne nostra quidem aetate uiri docti satis explanarunt.[1]) Quaeruntur autem haec potissimum: primum utrum *quî* a *quo-* an a *qui-* stirpe deriuandum sit, et qui sit casus pronominis, deinde utrum adiectiui an substantiui loco usurpetur, postremo quomodo uariae *quî* uoculae notiones ortae sint.

Velut Otto Ribbeckius loco quodam Pacuuiano (trag. p. 113, 286) *quî pacto* cum libris manuscriptis pro *quo pacto* usitato eademque notione uulgo adhibito seruari iubet, *quo* et *quî* inter se perperam confusis. Ritschelius, quippe cui *quî* forma ablatiui uideretur, locis nonnullis in contextu Plauti eiusque aequalium *-d* suffixum ablatiui proprium adnectere non dubitauit. Alii formae magis ratione habita casum locatiuum esse censent, alii obseruato sententiarum conexu instrumentalem.

Formationem enim *quî* pronominis qui respexerit, non dubitabit, quin ad *ka-* stirpem indogermanicam referendum sit. Tamen cum uetustissimis iam temporibus *ka-* stirps adeo esset debilitata[2]), ut etiam in omnibus linguis Italicis et *qui-* stirpem et *quo-* ab ultimo initio inueniamus[3]), dubium est, utrum a *quĭ-* an a *quo-* profectum sit: Vtriusque omnes formatos esse casus ex Osca lingua concludere licet. (Enderis, Formenlehre d. osc. Spr. p. 44. 45.)

Magis magisque tamen, quae idem fere uidebantur significare, stirpes inter se confusae sunt, ut altera alterius formas alterna uice adoptaret. Ex quo quamquam factum est, ut Haaseus (Reisig-Haase p. 191 adn. 221) negaret usu syntactico aut etymologia ad hanc rem constituendam quicquam effici, tamen, ex utra stirpe facilius possit deriuari, ita quaeramus, ut priore loco consideremus *quo-*

---

1) Primus *quî* uoculae usum Hartungius (de casibus p. 208—11) dedita opera explicare conatus est. Nuper O. Wichmannus quid recte quid secus in dissertatione 'De *quî* ablatiuo antiquo' (Vratislauiae 1875) exposuerit, suo quidque loco afferam. — Gratissimum hoc loco animum profiteor G. Studemundo praeceptori meo, qui codicum Plautinorum a se conlatorum lectiones, ut in usum meum describerem, solita comitate permisit.

2) Fickius, 'Vergleich. Wörterbuch d. indog. Spr.' (Gott. 1871) p. 42; Fickius 'Die ehemalige Spracheinheit d. Indog. Europas,' (Gott. 1873) p. 80; Merguetius, 'Entwicklung d. lat. Formenbildung' (Berol. 1870) p. 150 §. 134.

3) Enderis, 'Formenlehre d. osc. Spr.' p. XXV; Michel Bréal., les tables Eugubines (Paris 1875) p. 355.

stirpem. De instrumentali non dubitamus: constat, cum forma instrumentalis in *-â* exitura esset, in linguis Italicis ne unum quidem instrumentalem certa fide esse demonstratum [1]), nisi opinabimur etiam casum illum in *-bhi* forma desinentem esse instrumentalem (conf. Schleicherum, Comp.[2] p. 579, 581, 633, 635). Ablatiuus ad normam conformatus est *quo*. Tertius casus est locatiuus: quem addito *-î* suffixo formamus *quo-i*, ex quo *quei*, *quî* proficiscuntur. *Quî* igitur locatiuum esse a *quo-* deriuandum si quis statuet, is contra sonorum Latinorum leges non peccabit. Eodem autem iure dicas *quî* esse locatiuum *quĭ-* stirpis, ex *qui-i* contractum. Conformemus denique ablatiuum: unam eandemque formam *quî* h. e. *qui-i(d)* habemus, ita ut *quî* et *locatiuus quo-* et *locatiuus qui-* et *ablatiuus qui- stirpis* declarari possit.

Sed priusquam ad singulas uirorum doctorum sententias adeamus aestimandas, ex locis omnibus, nullo si fieri poterit omisso, enumeratis et distributis, quos prisci scriptores Latini praebent neque eis, quae ex comparatis linguis Indogermanicis uiri docti statuerunt, neglectis, propriam atque ueram *quî* uoculae naturam atque usum enucleare conemur.

Atque cum *quî* pronominis usus, ubi ad uoces generum aut masculini aut feminini struitur, a genuina casus natura propius absit, priore capite de *usu personali*, altero de *impersonali* agemus, eademque ratione cum *quî* pronominum et interrogatiui et relatiui et indefiniti munere fungatur, exempla sic apte discernenda esse censeo, ut disseram

I. de usu *quî formae personali*
  A. interrogatiuo
  B. relatiuo
  C. indefinito
II. de usu *impersonali*, eodem modo disposito
III. de forma *quî* cum usu comparata.

Caput primum.

De *quî* pronominis usu *personali*.

A. De *quî* pronominis *interrogatiui* usu personali.

Quî pro substantiuo generis communis usurpatum munere fungitur *instrumentalis* uel *locatiui* pronominis *quis*: [2])

---

1) Boppius, 'Vgl. Gramm.' uel potius Arendtius, 'Sach- und Wortregister zu Bopp vgl. Gr.' (Berol. 1863) p. 63: Instr. sing. fehlt im Griech.-Lat.; Buechelerus 'Grundriss d. lat. Decl.' p. 3; Delbrueckius 'Abl. Loc. Instr.' p. 50. — Aliter Max. Muellerus in annal. phil. CXIII (1876) p. 691.

2) *Ablatiuis absolutis* et instrumentalem notionem et localem inesse, meram ablatiui uim prorsus deesse, demonstrauit Delbrueckius (l. c. 43 sq.): 'Est ist schon von Reisig anerkannt, dass der Ablativ hier (im abl. abs.) nicht in all seinen Bedeutungen verwendet werden kann. Welche Be-

Masc. sing.: Bacch. II 3, 101 (335) Sed *quî* praesente id aurum Theotimo datumst?

Curc. V 3, 33 (711) Quid? negas? # Nego hercle uero. *quî* praesente? quo in loco? (quî *pro* quo *restituit Luchsius*).

Quî cum praepositione *cum* coniunctum est (*quîcum*). (Locos collegit atque perlustrauit Brixius ad Trin. 905 ['krit. Anhang']; conf. etiam Greefium in Philol. XXXII p. 711 sqq. XXXV p. 671 sqq. ['Die Präposition *cum* in Verbindung mit dem Relativum.'])

Masc. sing.: Cas. II 5, 9 Quid istuc est? *quîcum* litigas, Olympio? —Most. II 2, 86 (519). Men. II 3, 18 (369). Merc. V 2, 65 (904). Mil. II 5, 14, 15 (424. 425). Rud. V 3, 24 (1380). Eun. IV 4, 31 (698). Haut. I, 2, 4 (178).

Fem. sing.: Epid. II 2, 34 (218) Et cum ea tibicinae ibant quattuor. # *Quîcum*, Epidice?

Liceat hoc loco inserere

As. II 3, 16 (396) sed quid uolebas? # Argenti uiginti minas, si adesset, accepisset. # *Quî pro* istuc? # Asinos uendidit Pellaeo mercatori Mercatu.

in quo exemplo solo *quî* pro *qua re* dictum est. *Quî* instrumentalis aeque ad *accipiendi* atque ad *mutandi* uerba (conf. Capt. pr. 26 '*quî* mutet suom', sim.) adstructus est. Vim instrumentalem proxime abesse a ui locali ex praepositione *pro* adhibita elucet.

I. B. De *quî* pronominis *relatiui* usu personali.

Quaecumque huc pertinent exempla, formam exhibent *quîcum*. Cum tamen nonnullis locis utrum *quicum* an *quocum*, *quacum* praeferendum sit sententiae discedant atque alius usus sit apud alios scriptores, (1) primo loco Plautina afferam exempla, (2) altero Terentiana, (3) tertio ea quae ex ceteris scriptoribus priscis collegi.

1) Masc. sing. Amph. pr. 98. 99. *Amphitruo* natus Argis ex Argo patre *Quîcum* Alcumenast nupta.

Amph. I, 1, 208 (364). Capt. III 5, 62 (720). Cas. III 5, 38. Cist. I 1, 79. Bacch. IV 4, 4 (646). Men. IV 2, 21 (589). Poen. III 6, 3. Trin. IV 2, 111 (953).

Conferas[1]): Stich. IV 2, 47 (627) *Quîcumuis* depugno multo facilius quam cum fame.

Fem. sing. Epid. II 2, 57 (241). Ibi illarum altera. Dixit *illi*, *quîcum* ipsa ibat.

---

deutungen ganz in Wegfall kommen, ist leicht einzusehen. Es sind die des eigentlichen Ablativs. Es blieben also übrig der Instrumentalis und Localis. Dem Sinne nach würden vielleicht beide zu rechtfertigen sein. Der Vergleich mit dem Altindischen zeigt aber, dass auch im Latein. die sogenannten abl. abs. zuerst loc. abs. waren, auf die später, als der Localis und Instrumentalis schon *ein* Casus geworden waren, naturgemäss auch einiges vom Instrumentalis überging.'

1) Ex Ritschelii coniectura accedit Merc. II 3, 118 (455) Quid ais? # ⟨*Quîcum*⟩ mihi communist illa, is hic nunc non adest.

Stich. IV 1, 41, 42 (547. 548). Trin. pr. 15.

Fem. plur. Capt. V 4, 6 (1003) . . patriciis pueris aut *monedulae* Aut *anates* aut *coturnices* dantur, *quîcum* lusitent.

Insequuntur loci, quibus libri *quocum*, *quacum* exhibent:

quocum: Trin. IV 2, 60 (905) Nouistin hominem? # Ridicule rogitas, *quocum* una cibum Capere soleo.

(quîcum *Fleckeisenus*, *Spengelius*, *Brixius*, *Wichmannus*; quocum *Ritschelius*, *Greefius* l. c. XXXV. p. 672.)

quacum[1]): Cist. II 3, 44. Sed illaec se quandam aibat mulierem
Suam beneuolentem conuenire etiam prius
Commune *quacum* id esset sibi negotium.

Amph. pr. 114 Dum ille *quacum* uolt uoluptatem capit.

(Dum illa *BD; medelam excogitauit C. F. G. Muellerus* (Pr. Pl. p. 741) hanc: Dum cum illa, quacum. *Itidem Fleckeisenus.*)

Quibus locis adiungi potest: Bacch. IV 8, 10 (851) Vir hic est illius mulieris *quacum* adcubat.

(quae cum *B:* haud scio an mendum a librario sic sit illatum, ut, cum pro *quîcum* inuenisset falso scriptum *quecum*, hanc formam *quaecum* significare opinaretur.)

2) Maiore etiam inconstantia formas, quas laudaui, adhibet Terentius:

quîcum: Masc. sing. Haut. IV 1, 2 (615) hic profecto est anulus, quem ego suspicor, Is *quîcum* exposita est gnata. — Eun. IV 6, 21 (759).

Fem. sing. Ad. IV 7, 32 (750). Ad. III 4, 31 (477).

Quîcum praetulerim: Hec. IV 1, 40 (555) Nam si is posset ab ea sese derepente auellere, *Quîcum* tot consuesset annos, non eum hominem ducerem.

(Quicum *BCDEFP*, *Arusian. p. 219.* Non quacum, sed quicum *Donatus;* quacum *cum A Vmpfenbachius*, *Fleckeisenus*, *dubitanter etiam Brixius*, *Greefius.*)

Phorm. V I, 32 (759) Offendi adueniens *Quîcum* uolebam et ut uolebam conlocatam gnatam.

(Quicum *BCD²EFP*, *Priscianus.* Quocum *cum AD¹G* Bentleius, *Fleckeisenus, Vmpfenbachius, Dziatzko; dubitanter Brixius, Greefius.*)

---

1) Contra librorum fidem *quacum* Geppertus edidit: Cas. II 5, 10. Quîcum litigas, Olympio? # Cum ea, *quacum* tu semper. *Brixius cum B I libris restituit:* cum eadem qua tu. (conf. annal. philol. CI p. 773). Similiter Cas. II 2, 13 Credo écastor, nam uícinam nemínem amo mérito mágis quam té ‖ Nec *qua in* plura sint mihi, quae ego uelim. (qua in *A B*, quam *I*, quacum *Cam.*) Audacter Geppertus ab hac lectione recessit: Credo ecástor, nam uicínam neminém merito magís ‖ Quam te amó, nec *quacum* plúra sunt mihí, quaequae ego uelím. C. F. G. Muellerus (Pr. Pl. p. 144) metro commutato sic restituere conatur: Crédo ecastor. nám uicinam néminem amo meritó magis Quam te nec ⟨cum quí⟩ quam plura súnt mihi, quae egó uelim.

De *quocum, quacum* dubitandum non est:[1]) Eun. I2, 39 (119). III 5, 26 (574).

3) Perpauca addenda sunt de ceteris scriptoribus priscis. In tragicorum enim reliquiis neque *quocum* neque *quacum* legi, contra semel *quîcum* (sing. masc.): apud Pacuuium (Ribb. trag. p. 80) 25. Ex comicis Sex. Turpilius (Ribb. com. p. 92) 57 *quacum* forma usus est, ex epicis Ennius *quocum* exhibet: ann. X 239 (ed. Vahlen. p. 37) et ann. X 247 (p. 38). Denique Lucilius (ed. L. Muell.) XXVI, 65 bis praebet *quîcum*. Conf. Greefium l. c. XXXV p. 672.

Ex his apparet non de omnibus locis certo posse iudicari. Cum tamen libri uetent aut *quîcum* formam aut *quocum quacum* ubique restitui, non mihi probatur O. Wichmannus, qui (l. c. p. 15) 'pro multis illis exemplis, quibus *quîcum* eodem sensu, eadem ratione positum est, non potest quin *quocum* et *quacum* Plauto et Terentio abiudicet et librariis attribuat'. Immo probatur mihi Greefius, qui (l. c. p. 674) librorum auctoritatem secutus docet, utrasque formas inde a priscis scriptoribus promiscue legi, *quîcum* uero eo tempore obsoleuisse, quo *cum* praepositionem postpositam reicerent scriptores atque constanter adhiberent *cum quo*, *cum qua*, sim.; *cum quî* nusquam inueniri. Quae quare sic se habeant, cum de *quî* uocis natura non agat, in dubio remanet: nimirum eodem tempore *quî* ex usu sermonis euanuit.

Nec tamen praetermittendum uidetur codices inter se dissentire, ubi *quîcum* pro relatiuo usurpatur, consentire, ubi in interrogando occurrit: loci cum extent apud Plautum, quibus *quî relatiuum* cum *quo*, *qua* possis commutare (conf. infra p. 504), non est, cur negemus, etiam *quîcum* et *quocum*, *quacum* promiscue usurpari.[2]) Atque cum illa exhibeant formas sensu *instrumentali modali* adhibitas, in *quîcum* uoce eadem notio subest: constat *cum* praepositionem cum instrumentali coniungi. Ex quo concludi potest *quîcum* primo unicam fuisse formam, magis magisque tamen uoculae partes sibi assumpsisse *quocum*, *quacum*. Moneo, Ciceronem nobiscum communicare prouerbium quoddam 'contritum uetustate: quîcum in tenebris?' (de fin. II 16 §. 52). Conf. de off. III 19, 77: 'a quibus natum est id, quod iam contritum est uetustate, prouerbium: cum enim fidem alicuius bonitatemque laudant, *dignum esse* dicunt, *quîcum in tenebris* mices.' Conf. Lael. XXI, 77.[3]) Confirmatur haec sententia eo, quod *quîcum* non modo

---

1) Phorm. I 3, 19 (171) Quod si tibi res sit *cum eo lenone*, *quo*[*cum*] mihi est, tum sentias. (cum eo lenone sit *BCEP*, eum eo et lenone sit *F*, QUOMIKI (*om.* cum) *A*. Quod a uiris doctis edebatur *cum*, Dziatzko recte, ut uidetur, delet: 'Die Wiederholung der Präposition ist unterlassen nach Analogie des Griechischen, eqs.'

2) Similiter *quis, quid* nominatiui pro relatiuis usurpati cum *qui, quae, quod* formis confunduntur (Neue, Formenl. II p. 219; Holtze l. c. I 391—392).

3) Contra Fronto, cuius aetate *quîcum* iam diu ex usu euanuerat: Aliud, inquit, scurrarum prouerbium: en *cum quo* in tenebris mices. Ep. ad M. Caes. I 2, 6.

pro quouis genere, sed etiam pro utroque numero adhibitum legimus. In memoriam reuoco Capt. V 4, 6 (1003): 'Nam ubi illo adueni, quasi patriciis pueris aut monedulae Aut anates aut coturnices dantur, *quicum* lusitent', ubi *quîcum* pro *quibuscum* forma feminali adhibetur[1].

Quibuscum inueni: Masc. plur. Haut. II 4, 8 (388) Nam expedit bonas esse uobis: nos, *quibuscúmst* res, non sinunt.

Fem. plur. Bacch. III 6, 35 (564) Quid? tibi non meretricum aliarum erat Athenis copia, *Quíbuscum* haberes rem, nisi cum illa, quam ego mandassem tibi, ..?

Neutr. plur. Cist. III 5. Nam hic crepundia insunt, *quíbuscum* te illa olim ad me detulit. — Cist. IV 1, 13. Rud. IV 4, 67 (1110).

Contra *cum* praepositum est: Andr. I 1, 36 (63) *Cum quíbus* erat *cumque* una, eis sese dedere.

Restat ut afferam: Capt. IV 2, 48 (824) *Quo* homine ⟨hominum⟩ adaeque nemo uiuit fortunatior.

(Qui homine *cum BJ Brixius*, Quo homine *Geppertus, Wichmannus.*) quo loco, quin *quo* praeferendum sit, non dubito. Quamquam enim nominatiuus *quis homo* conformatur, tamen, cum et in structura com-

---

1) Plura eiusmodi fortasse haberemus, nisi librariis offensioni fuisset hic usus: qui quam facili negotio *quibuscum* pro *quîcum* substituere potuerint, usus modo explicatus mihi persuadet et ictus metricus: nusquam enim a Plauto urgetur *quibúscum*, immo aut *quíbuscum* aut *quibuscúm:* Quare minus recte Corssenus uituperauit Priscianum, cum scriberet Voc. II 851): 'Präpositionen, die ihren Hochton einbüssen und sich an das vorhergehende Wort schliessen, sind *cum*, in: — — — quócum, quácum, quícum, quibúscum, neben quo cum. Prisc. XIV 10. XIV 47.: 'cum' praepositio, quando pronominibus postponitur primae uel secundae personae uel etiam 'se', quae est tertiae, enclitici uice fungitur, ut supra dictum est: mécum, técum, sécum, nobíscum, uobíscum; aliis uero postposita acuitur, ut quocúm, quacúm, quicúm, quibuscúm. Priscian sagt zwar, in diesen Verbindungen mit dem Relativpronomen habe cum den Hochton behalten, aber dass Priscian die griechische Betonung der Praepositionen in der Anastrophe auf die Latein. Sprache übertragen wollte, ist schon bemerkt.' Acuitur: *quícum:* Amph. I 1, 208 (364) — Capt. V 4, 6 (1003) — Stich. IV 1, 41 (547) — IV 1, 42 (548) — Cas. II 5, 9 — Men. II 3, 18 (369) — Poen. III 2, 10. III 6, 3 — Cas. III 5, 38 — Cist. I 1, 79 — Epid. II 2, 57 (241) — ⟨Bacch. IV 8, 10 (851)⟩ — Men. IV 2, 21 (589) — Trin. pr. 15 — ⟨IV 2, 60 (905)⟩ — IV 2, 111 (953) — Eun. IV 6, 21 (759) — Haut. I 2, 4 (178) — IV 1, 2 (615) — Ad. III 4, 31 (477) — IV 7, 32 (750) — Pacuu. (trag. p. 80) 25. — Lucil. XXVI 65. — *quícumuis* Stich. IV 2, 47 (627) — *quócum* Enn. (annal. p. 38) 247 — *quácum* Cist. II 3, 44 — Eun. III 5, 26 (574) — Hec. IV 1, 40 (555) — *quicúm* Amph. pr. 99 — Capt. III 5, 62 (720) — Epid. II 2, 34 (218) — Bacch. IV 4, 4 (646) — Mil. II 5, 14. 15 (424. 425) — Merc. V 2, 65 (904) — Rud. V 3, 7 (1363) ubi tamen *quibus* seruari uidetur posse (cf. Brixium in annal. phil. 1870 p. 773) — Eun. IV 4, 31 (698) — Phorm. V 1, 32 (759) — *quocúm* Enn. (annal. p. 37) 239 — *quacúm* Turpil. (com. p. 92) 57.

paratiua et omnibus, quae merum ablatiuum flagitant, formulis, *quo* tantummodo inueniatur, hanc formam praeferendam censeo. Compares:

Aul. III 6, 25 (553) Etiam agnum misi. # *Quo* quidem *agno* sat scio Magis curiosam nusquam esse ullam beluam.

Cas. V 1, 10 Senem, *quo* senex nequior nullus uiuit.

Most. I 2, 72 (150) *Quo* neque industrior de iuuentute erat.

Most. I 1, 29 (30) *Quo* nemo adaeque iuuentute ex omni Attica Antehac est habitus parcus nec magis continens, Is nunc in aliam partem palmam possidet.

Merc. I 1, 100 (101) Muliér, *qua mulier* ália nullast púlchrior.

(quā *B*, mulier *libri*, muliere *Scaliger, Salmasius, Ritschelius.* — Retinendum mihi uidetur *mulier* cum libris: conf. Cas. l. c. *senem, quo senex nequior nullus.*)

Poen. V 2, 111 Et *is* me heredem fecit, quom suum obiit diem, *Quo* me priuatum ⟨esse⟩ aegre patior mortuo.

Enn. (Vahlen. p. 84) ann. 577: . . . *quo* sospite liber . . .

Afran. (Ribb. Com. p. 211) 364: *quo* gnatus *patre.*

Amph. II 1, 67 (614) eodem patre, *quo* ego sum, forma, aetate item *Qua* ego sum.

I C. De *quî* pronominis *indefiniti* usu personali.

Formae, quae *quî* praebent, pronominum indefinitorum pro substantiuis, quae *quis, quid* nominatiuis respondent, usurpantur: atque exempla, quae apud *Plautum* leguntur, sunt haec:

1) Instrumentalis cum praepositione *cum* coniunctum est: Stich. IV 2, 47 (627) *Quîcumuis* depugno multo facilius quam cum fame. Bacch. 17 nec *cum quîquam* limares caput.

Nomen aliquod explicatiuum additum est: As. I 3, 23 (175) Vbi lena bene agat *cum quîquam amante*, quae frugi esse uolt. (quiquam *BDJ* [*J e ras.* quidam].)

As. IV 1, 9 (754) Neque *cum quîquam alio* quidem (quîquam *BDJ*).

Cist. I 1 88. Stulte ecastor fecit: sed tu enunquam *cum quîquam uiro* consueuisti?

Contra *quo*, *qua* ablatiui adiectiuorum loco leguntur: Rud. IV 7, 33 (1259) Nam illic *cum seruo si quo* congressus foret, Et ipsum sese et illum furti adstringeret.

(*Quo* quoniam aduerbium esse uix potest, necesse est *seruo* cum *aliquo* coniungi.)

Mil. II 2, 84 (239) sororem . . Dicam Athenis aduenisse *cum amatore aliquo suo.*

(aliquo *BcFZ*, aliquid quot *BaCD*, aliqui *Bothius, Wichmannus p. 31.*)

Mil. II 3, 18 (289) Atque ego illi aspicio osculantem Philocomasium *cum* altero Nescio *quo* adulescente.

Mil. II 4, 31 (384) soror geminast germana uisa Venisse Athenis in Ephesum *cum suo amatorequodam.*

2) Pronomen *quî* meri ablatiui loco cum *ab* praepositione coniunctum

est: Epid. III 1, 11 (332) Si hercle habeam, pollicear lubens. uerum aliquando aliqua aliquo modo Alicunde *ab aliquî* aliquast tibi spes mecum fortunam fore.[1])

Pers. IV 3, 8 (477) Nec satis *a quîquam homine* accepi. (quiquam *B*, quoquam *CD*.)

Quadam adiectiuum est: Cist. IV 2, 70. At pol ille *a quadam muliere*, si eam monstret, gratiam ineat.

Videntur autem repugnare exempla ea, quibus *cum quîquam amante, cum quîquam alio, cum quîquam uiro, a quîquam homine* legitur. Quae etiamsi sic possis interpretari, ut ad *quisquam* pronomen substantiua, quae dixi, explicatiua sint adiecta, tamen monemus eas huius pronominis formas, quae adiectiuorum usui respondent, Plauto esse alienas. Conf. quisquam homo (Truc. II 2, 52. Rud. I 3, 23 (206). Poen. V 4, 32), quisquam amator (Truc. II 1, 28), alius quisquam ciuium (Amph. I 1, 31 (186)); neque quisquam alia mulier (Cist. I 1, 68), anum quemquam (Rud. II 3, 75 (406)), sim. — Quae cum respicias, nescio an concedas Plautum hoc uno loco

Bacch. 16 Ne *a quoquam* acciperes *alio* mercedem annuam,
Nisi ab sese.

posteriorem usum admisisse.

Totam hanc quaestionem ut magis perspicias, inseremus hoc loco exempla ea, quibus *quo* et *qua* ablatiui cum praepositionibus, quae merum ablatiuum flagitant, coniuncti in enuntiatis relatiuis aut in interrogationibus occurrunt:

Epid. I 2, 40 (143) *a quo* tarpezita peto?

Mil. IV 2, 56 (1047) *Quanam ab* illarum?
(Quanam ab *Cam.*, Quam ab *B*, Qua ab *reliqui.*)

As. I 1, 106 (119) Non esse seruos peior hoc quisquam potest
Nec magis uorsutus nec *quo ab* caueas aegrius.

Rud. II, 6, 71 (555) Nunc si me adulescens Plesidippus uiderit,
Quo ab arrabonem pro Palaestra acceperam,
Iam is exhibebit hic mihi negotium.

Epid. II 1, 4 (170) Praesertim eam, *qua ex* tibi Commemores hanc quae domist Filiam prognatam?

Quo et *qua* formae et adiectiuorum et substantiuorum more adhibentur: usus est idem atque *qui, quae, quod* nominatiuorum. Superuacaneum autem non uidetur, ut exemplo utar, uersum: Epid. II 2, 34 (218) Et *cum ea* tibicinae ibant quattuor. # *Quîcum*, Epidice? comparare cum uersu: Mil. IV 2, 56 (1047) haec illaec est *ab illac* quam dudum dixi. # *Quanam ab* illarum?
Quaeritur quare Plautus altero loco *quî*, altero *qua* praetulerit.

---

1) Epid. III 1, 13 (334) Quippe tu mi 'aliquid aliquo modo alicunde *ab aliquibus* blatis, Quod nusquam gentiumst' (ubi cum libris *BI* Vssingius [ad Amph. 620] et Goetzius *ab aliquibus* scripserunt, cum Acidalio et Gepperto *ab aliquî* praetulerim, cum Stratippocles eadem uerba de industria repetat, quibus Chaeribulus [u. 332] usus est.)

— *Quí instrumentalem* esse *quis, quid* pronominis, supra confirmaui, cum *ab, cum, pro* praepositionibus, h. e. (quantum ex paruo locorum numero potest concludi) cum qualibet praepositione coniunctum. Tamen *a quí, ex quí* sim. non extant. Sequitur, *cum* unicam esse praepositionem, cum qua tam arte *quí* forma fuerit coniuncta, ut munere formarum *quícum*, *quo*cum, *qua*cum fungeretur. Pro *a quí* inusitato aut *a quo*, *a qua* aut *unde*[1]) dicitur. Conf.

Epid. I, 1, 74 (80) Numquam hominem quemquam conueni, *unde* abierim lubentius.

Most. III 1, 16 (547) Conueni illum, *unde* hasce aedis emeram.

Most. IV 3, 5 (997) nam eccum, *unde* aedis filius Meus emit.

Men. V 2, 33 (783) Ludibrio, pater Habeor. # *Vnde?* # Ab illo, quoi me mandauisti, meo uiro.

Trin. I, 2, 118 (155) ne gnato crederem Neu quoiquam, *unde* ad eum id posset permanascere.

Itaque censeo Plautum *cum* praepositioni instrumentalem flagitanti adiunxisse formam in *-í* desinentem pronominum et interrogatiui et indefiniti et relatiui; relatiuam *quícum* formam promiscue usurpari cum *quocum, quacum.* Contra ad praepositiones, quae merum ablatiuum flagitant, non struuntur *quí*, quaeque cum eo compositae sunt, uoces nisi meri ablatiui forma prorsus deest.

Iam transeamus ad *Terentium.* Versum

Hec. IV 1, 35 (550) Audisti *ex aliquo* fortasse, qui uidisse eum diceret Exeuntem?

qui comparauerit cum supra laudato illo

Epid. III 1, 11 (332) Alicunde *ab aliquí* eqs.

eum non fugiet, alium esse usum Plautinum, alium Terentianum. Vnus tamen locus repugnare uidetur: Ad. II 3, 1 (254)

Abs quíuis homine, quom est opus, beneficium accipere gaudeas. (QUỊVIS *A, corr. rec.*)

Quare in dubio relinquatur, an poeta *quouis* scripserit, causa manifesta est: Plautus quin scripturus fuerit *abs quíuis homine*, non dubito, cum legamus *a quíquam homine, ab aliquí,* sim.; apud Terentium *abs quíuis homine* non possumus nisi ita interpretari, ut statuamus eum uestigia hoc loco seruasse usus antiquioris. Contra forma *adiectiui* legitur ad regulam exaequata: Hec. I 2, 120 (195) Et quidem ego: nam constitui *cum quodam* hospite Me esse illum conuenturam.

Comparemus usum *interrogatiuum* et *relatiuum.* Praeter ea, quae de *quícum* et *quocum*, *quacum* supra exposui, hos habeo locos, qui *quo, qua* exhibent:

ex: (int.) Hec. IV 1, 12. 13 (527. 528) Peperit filia. hem taces? *ex*

---

1) Eadem ratione referuntur ad personas aduerbia: Phorm. IV 2, 14 (604). Eun. pr. 11. Conf. *unde* = *a quibus*: Eun. I 2, 35 (115) 'e praedonibus, Vnde emerat'; *quo* = ad quem: Mil. II 1, 41 (119) ad erum ueni, quo ire occeperam; *ubi* = *apud quem*: Cas. II 3, 37 Seruo frugi atque *ubi* illi bene sit ligno . . *ubique* educat pueros.

quo? # Istuc patrem rogare est aequom? Perii: *ex quo* censes, nisi ex illo cui data est nuptum obsecro?

(rel.) Hec. IV. 1, 18 (533) puerum. *Ex quo* firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires. (et quo *A,* ex quo *corr. rec.*)

Hec. V 3, 42 (840) Multa *ex quo* fuerint commoda ⟨eius⟩ incommoda aequomst ferre.

Phorm. V 8, 49 (942) Lemni habuit aliam, # Nullus sum. # *ex qua* filiam Suscepit; et eam clam educat.

de: (rel.) Hec. III 5, 5 (455) Ipsus est, *de quo* hoc agebam tecum.

Phorm. II 3, 8 (355) Ipsum esse opinor, *de quo* agebam.

Ad. I 1, 53 (78) Sed estne hic ipse, *de quo* agebam?

in: (rel.) Ad. III 2, 33 (331) Aeschinum? Nostram omnium uitam, *in quo* nostrae spes opesque omnes sitae Erant?

pro: (rel.) Ad. II 1, 25 (179) Quî tibi magis licet meam habere, *pro qua* ego argentum dedi?

ab: (int.) Hec. III 3, 23 (383) Nam uitium est oblatum uirgini olim *ab nescio quo inprobo.*

Quibus locis cum *quo, qua* (et substantiuorum et adiectiuorum more) pro ablatiuis *qui, quae, quod* formarum extent, idem est usus apud ceteros scriptores:

Lucil. XII 4: Huic hemini *quaestore aliquo* esse opus adque *chorago,* Publicitus qui mi adque e fisco praebeat aurum.

Conferas: de (rel.): Lucil. XXX 78 Improbior multo quam *de quo* diximus ante.

in (rel.): Acc. (Ribb. trag. p. 155) 150 *In quo* salutis spes supremas sibi habet summa exerciti.

(int.) Lucil. X 7: Hoc est: quid sumam? quid non? *in quo*que locemus?

(rel.) Lucil. IV 1 O lapathe, ut iactare nec es satis cognitus qui sis, *In quo* Laelius clamores sophos ille solebat Edere.

Lucil. XIII 16 Vt perhibetur iners, ars *in quo* non erit ulla.

Haec habui de *quî* formae usu *personali* quae dicerem. Apparet, *qui* usurpari pro *instrumentali*, qui *quis quid* nominatiuo respondet atque pro *ablatiuo*, ubi altera ablatiui forma deest. Quo quidem munere cum fungatur, cum quauis praepositione coniungitur apud Plautum: quem qui sequuntur, recentiorem usum receperunt atque formas in *-o* et *-a* desinentes scripserunt, ubi ille formam in *-i* excuntem usurpat; excepto *quicum*, quod, tamquam formula, seruatum extat usque ad Ciceronem.

Caput alterum.

De *quî* pronominis usu impersonali.

A. De *quî* pronominis interrogatiui usu impersonali.

II. Aa. *Quî* interrogatiuum in oratione directa positum.

α) *Quî* cum uerbo aliquo coniunctum est.

1) *Quî instrumentalis modalis* idem est atque *quomodo*:

Poen. I 1, 41 lenonem tibi . . . . Dabo hodie dono. # *Quî* id facturu's? # Iam scies. Tuos Collybiscus nunc in urbest uilicus. (Quid *libri*, Qui id *Guyetus*.)

2) *Quî* cum et *quomodo* et *quare* significet, notioni instrumentali modali uim ablatiui proprii adnectit: id quod maxime apparet ex his locis, quibus alter ambigue interrogat *quî* uoce adhibita, alter qui respondet, *quare* uoculae significatione de industria neglecta, nihil nisi *quomodo* intellegit.

Mil. III 2, 13 (826) Quid uis? # *Quî* lubitumst illi condormiscere? # *Oculis*, opinor. # Non te istuc rogito, scelus. (qui *Beroaldus*, quid *libri*.)

Merc. I 2, 71 (182) *Quî* potuit uidere? # *Oculis*. # Quo pacto? # ⟨Hem⟩ hiantibus.

Ad quae accedit unum hoc exemplum:

Poen. IV 2, 70. Erus si tuus uolt facere frugi, meum erum perdet. # *Quî* id potest? ‖ # *Facile*. # Fac ergo id facile noscam, ego ut ille possit noscere. ‖ # *Quia* Adelphasium . . . . ingenuast. (Quid *B*, Quia *D*.)

quo alter, *quare* significatione neglecta, *facile* h. e. *facili negotio id potest* respondet, deinde *quia* uoce adhibita causam adicit, *quare* quod interrogatum est *facile possit fieri*.

3) *Quî* et *quare* et *quomodo* significat.[1]) Causa sequitur, quare id quod rogatum est sic se habeat, ut qui interrogatur uult. Quod ut confirmetur, exempla sic inuenies distributa, ut facile, quomodo *causa* expressa sit, cognoscas. Sequitur:

quia:

a) *quia* pendet ex uerbo a respondente ex alterius interrogatione repetito: Epid. II 2, 87 (272) hodie haud uenerit. # *Quî scis*? # *Scio*, *Quia* mihi alius dixit.

b) *quia* sequitur, postquam *quî?* a respondente repetitum est: Andr. III 2, 21 (501) *Quî* tibi istaec incidit suspicio? ‖ # *Quî? Quia* te noram.

c) *quia*. Amph. II 2, 78 (710) *quî* istuc in mentemst tibi ex

---

1) Accuratius nuper de hoc *quî* uocis usu egit Cavallinus in 'Nordisk Tidskrift for Filologi og Paedagogik 1874', quoad, cum ipse ille liber in manibus mihi non sit, ex Lorenzii uerbis (Jahresberichte II p. 643) concludi possit.

me, mi uir, percontarier? ‖ # *Quia* .. — Curc. III 44 (414). Epid. I 1, 87 (97). I 2, 29 (132). II 2, 24 (208). Most. I 1, 55 (58). Mil. IV 3, 11 (1104). IV 6, 62 (1277). Poen. I 2, 125. Trin. I 2, 40 (77). Truc. I 2, 34. Phorm. V. 3, 16 (799). Merc. III 4, 42 (627).[1]) Epid. II 2, 66 (251), quia enim: Amph. II 2, 34 (666). Cas. II 3, 44.

Sequitur *nam:*

nam pendet ex uerbo, quo qui interrogauit usus est, ab eo qui respondet repetito:

Mil. IV 6, 40 (1255) *Quî* scis? # Scio edepol facile: *Nam* .. — Mil. V 1, 38 (1431). Epid. III 4, 53 (489).

Causa, quae sequitur, totius enuntiati conexu continetur exemplis his: Bacch. V 1, 28 (1116). *Quî* scis? # *Vidi.* — Capt. III 4, 96 (629). Epid. III 1, 12 (333). Bacch. IV 4, 31 (682). Most. II 1, 28 (375). IV 2, 4 (887). Men. V 9, 61 (1120). Merc. II 4, 12 (480).[2]) Poen. V 2, 19. V 2, 96. Trin. II 2, 49. 52. 53 (330. 333. 334). Truc. I 2, 96. Andr. II 1, 2 (302). III 3, 43 (575). V 4, 31 (934). Hec. II, 1, 38 (235).

Verbum, quo qui interrogauit usus est, a respondente repetitur: Andr. II 2, 15 (352) *Quî* scis? # Scio: Tuus pater modo me prehendit: ait tibi uxorem dare.

4) *Quî* et *quare* et *quomodo* significat: causa omittitur, quia qui interrogat, ipse causam addit, quare alterum id, de quo agitur, fecisse putat.

Poen. V. 7, 1. *Quî* lubet patruo meo Loqui inclementer? Ne mirere, mulieres Quod eum sequuntur: modo cognouit filias Suas esse hasce ambas.

5) Causa non desideratur, quod aliquis scire se negat eam rem, de qua agitur.

Rud. III 2, 25 (639). *Qui* lubet maledicere? equidem tibi bona optaui omnia. — Bacch. II 2, 13 (190). Men. II 3, 45 (396). Merc. V 2, 62 (902).

6) Deinceps enumerantur enuntiata ea, in quibus cum insit responsio negatiua, interrogatio prope abest ab exclamationis natura.

1) Merc. III 4, 42 (627) Deos absentis testis memoras: *quî* ego istuc credam tibi? ‖ #*Quia* tibi in manust quod credas: ego quod dicam id mi in manust. (Quo loco quamuis significanter cum Pistori Ritschelius *Quin* pro *Quia* scripserit, *Quia* cum libris manuscriptis legenti neque sensus neque metrum obstat. Conf. uersum insequentem: Epid. II 2, 66 (251) Ibi illa interrogauit illam: '*Quî* scis? quis id dixit tibi?' '*Quia* hodie adlatae tabellae sunt ad eam a Stratippocle' (quin *libri cum A*, quia *haud male Bothius, quem sequitur Goetzius.*)

2) Merc. II 4, 12 (480) Plurumum tu scis: sed quî scis meam esse amicam illam? # ⟨Tatae⟩ Tute heri ipsus mihi narrasti. *Tatae* Ritschelius addidit; praetulerim: ⟨*Scio*⟩, conf. Mil. V 1, 38 (1432) Quî tu scis? # Scio Nam. Mil. IV 6, 40 (1255). Epid. II 2, 87 (272) uel potius ⟨*Quia*⟩, conf. Most. III, 51 (740). Eun. I 2, 41 (121).

α) Indicatiuum praebent (uelut *quî scio?* idem est quod *scire non possum*): Most. III 1, 111 (643). sed scin quoiusmodi? # *Quî* scire possum? — Amph. II 1, 79 (626). II 2, 61 (693). Men. V 2 36 (786). Mil. II 5, 37 (447). Merc. I 2, 73 (184). II 3, 114 (451). Pseud. IV 1, 22 (930). Poen. V 5, 43. Pers. IV 7, 3 (716). Rud. IV 4, 27 (1071). Stich. I 2, 4 (61). II 1, 29 (301). IV 2, 17 (597). Trin. I 2, 50 (87). Truc. I 2, 64. Andr. III 3, 33 (565). Eun. pr. 36. IV 3, 15 (657). IV 7, 20 (790) V 7, 3 (1027). Ad. II 2, 7 (215). Acc. (Ribb. trag. p. 190) 418.

b) Coniunctiuum praebent, uelut *qui sciam?* eodem modo dicitur quo *scire non possum* uel *quî referam gratiam?* eodem quo *nescio quomodo referam gratiam* eqs.

Curc. V 2, 42 (641). *Quî* ego istuc credam? — Amph. pr. 76. III 4, 3 (986). Mil. III 3, 51 (925). Merc. IV 6, 9 (813). Andr. I 1, 26 (53) IV 4, 52 (791). Eun. IV 7, 9 (779). V 3, 2 (911). Ad. IV 5, 74 (708).[1])

β) *Quî* absolute positum est:

1) Mera *instrumentalis* significatio exhibetur:

Epid. II 2, 50 (234) Cani quoque etiam ademptumst nomen. # *Quî?* # Vocant Laconicum.

2) Ex ampliore *quî* uocis notione nihil, qui respondet, uidetur intellegere nisi uim instrumentalem:

Curc. V 3, 27 (705) Quodne promisisti? # Promisi? *quî?* # Lingua. # Eadem nunc nego.

3) *Quî* cum et *quomodo* et *quare* significet, notioni instrumentali modali uim adnectit ablatiui meri. Sequitur causa.

quia:

Curc. I 1, 40 (40) Male istis euenat. ‖ # *Quî?* # *Quia* scelestam seruitutem seruiunt. — Amph. II 2, 35 (667). Aul. II 6, 6 (353). Epid. I 1, 31 (36). Most. III 2, 51 (740). Merc. III 1, 15 (511). III 4, 27 (612). Rud. I 2, 63 (151). II 6, 38 (522). Andr. V 4, 51 (954). Phorm. V 8, 22 (915). Quî amabo? Bacch. I 1, 19 (53). Stich. I 2, 34 (91). Quî quaeso? Eun. IV 6, 7 (745). — quia enim: Amph. IV 2, 14 (1034). Pers. II 2, 46 (228).

Causa quae sequitur totius enuntiati conexu continetur:

Rud. II 6, 54 (538). *Quî?* # Quîne auderem tecum in nauem ascendere? — Haut. III 3, 50 (611). Quî amabo? Truc. I 2, 36. Quî quaeso? Eun. II 3, 16 (307). Quî cedo? Andr. I 1, 123 (150).

Accedit, qui *quî non* praebet uersus: Bacch. V 2, 44 (1163) Tun, homo putide, amator istac fieri aetate audes? ‖ # *Quî non?* # Quia flagitiumst.

Quî absolute positum additamento quodam augetur: Struuntur ad *quî* coniunctiones *uero, tandem, dum.*

---

1) Certum iudicium ferri nequit de Naeu. (Ribb. com. p. 11) 27; Titin. (Ribb. com. p. 148) 101; Lucil. V 47; XV 21.

Sequitur *quia*: Merc. II 3, 70 (405). Neque sinam. # *Quî uero?* # Quia illa forma matrem familias Flagitium sit, si sequatur. — Merc. II 3, 61 (395).[1])

Causa sequitur quae totius enuntiati conexu continetur: Poen. III 3, 21. Malo benefacere tantundemst periculum, Quantum bono malefacere. # *Quî uero?* # Scies: Malo si quid benefacias, beneficium interit. — Aul. II 5, 13 (337). Mil. II 3 25 (296).

quî tandem?

Most. V 1, 59 (1108) Dedisti uerba. # *Quî tandem?* # Probe Med emunxti. — Caecil. Stat. (Ribb. com. p. 63) 159.

Quîdum?

Sequitur *quia*: Pseud. IV 7, 23 (1124). *Quîdum?* # Quia praeda haec meast. - Amph. IV 2, 12 (1032). As. III 3, 30 (620). Bacch. III 3, 62 (466). Most. V 1, 31 (1079). V 1, 58 (1107). Mil. II 3, 54 (325). Rud. IV 4, 53 (1097). Trin. I 2, 129 (166). Eun. II 2, 42 (273). Quia edepol: Pseud. I 3, 104 (338). Quia enim: Epid. II 2, 114 (299). Rud. IV 4, 72 (1116). Sic quia (pro *quia*) in extremo uersu inuenitur Most. II 2, 20 (450). Pseud. I 3, 102 (336).

Causa totius enuntiati conexu continetur: Hec. III 1 39 (319) Nullus sum. # *Quîdum?* # *Perii.* — Men. I 2, 51 (161). Pseud. III 2, 55 (843). Most. III 2, 44 (733).

Accedit locus, quo *quidum* absolute positum non est: Truc. IV 2, 19 *Quîdum* quam miles magis? # *Quia enim* plus dedi.

Quî nunc et *quî iam* formulas esse reiciendas O. Seyffertus docuit (stud. Plaut. p. 18).

---

4) *Quî* cum pronomine coniunctum (*Quî istuc?* # *Quia*) legitur Eun. I 2, 41 (121). Phorm. II 2, 16 (330). Truc. I 2, 57.

In exemplis hucusque laudatis *quî* significationem exhibet ubique modalem, plerumque cum ablatiui proprii notione coniunctam. (Conf. nostrum 'wie'. Velut in interrogatione 'Wie kommt es?' eodem momento interrogatur et *quomodo?* et *quare?*) Sequitur, ut aliud quid significet *quî*, aliud aut *ut* ('wie') aut *cur, quare* ('warum? weshalb?')

Iam praetermittendae non sunt *quo*, *qua* formae. Sunt enim *quo* et *qua*, si originem casuum spectas, ablatiui, qui, cum casus magis magisque inter se confunderentur, et locatiui et instrumentalis partes susceperunt. *Quî* porro *substantiuum* est, *quo* et *qua* plerumque *adiectiua*: quod ut statim intellegas, uersum Most. III 2, 26 (715),

---

1) Vidi. uerum non ex usu nostrost neque adeo placet. ‖ # *Quî uero?* # Quia enim non nostra formam habet dignam domo. (quia enim non *Ritschelius, nisi forte* quia noenu *placebit*, quia non *libri*, quia haec non *Guyetus*, qui? quia non *Bothius*. Cum utraque mihi probetur, incertus sum utrum Ritschelii coniecturam *Qui uero? Quia enim non* praeferam an Brixii *Qui uero* ⟨*non*⟩*?* # *Quia non* (conf. Philol. XII 654).

quamquam propria sua natura hoc loco nondum tractandus est, iam exscribam: *Repperi, quî senem ducerem, Quo dolo a me dolorem procul pellerem.* Longum uidetur, quae *quo*, *qua* exhibent cum substantiuis exempla, coniuncta enumerare singulaque significationum genera accuratius distribuere. Cum eodem modo, quo Ciceronis temporibus, usurpentur apud priscos scriptores, non nisi unum locum afferam, qui corruptus uidetur:

Pacuu. (Ribb. trag. p. 122) 356: *Qua* te adplicauisti tam aerumnis obruta? (qua *Bamb. m. 1 et unus librorum Krehlii*, quae *ceteri*, quo *Bothius*.) Cum Bothio contra Ribbeckium praeferendum est *quo*, quod legimus apud eundem Pacuuium (Ribb. trag. p. 125) 370: *nil cernat, quo sese adplicet.*, apud Ennium (Ribb. trag. p. 25) 77: *quo adplicem?* Praeterea uno loco uerbum adplicandi absolute usurpatur: Men. II 2, 67 (342), ceteris cum *ad* praepositione construitur: Trin. II 1, 34 (270). Andr. I 2, 22 (193). V 4, 21 (924). Haut. prol. 23. II 4, 13 (393). Cat. (ed. Iord. p. 83) 3. Acc. (Ribb. trag. p. 189) 411.

II Ab. Quî interrogatiuum in oratione obliqua.

1) Ex interrogationibus obliquis quae a *quî* incipiunt, primo loco eas enumerabimus, quibus *quî* genuinam casus naturam nondum omisit. Pertinet huc *quî pretialis*[1]) (h. e. instrumentalis pretialis):

Pers. IV 4, 41 (590) Indica, minumo daturus *quî* sis, *quî* duci queat.

Acc. (Ribb. trag. p. 177) 309: Proin tu id, cui fiat, non *quî* facias compara. ('an *qui fiat?*' Ribbeckius).

Quanti eodem sensu scriptum inueni: Amph. I 3, 10 (508). Ecastor te experior *quanti* facias uxorem tuam. Similiter: Capt. I 2, 42 (145). Merc. I 2, 108 (221). II 1, 43 (270). Pers. IV 4, 26 (575). Rud. IV 8, 8 (1272). V 3, 49 (1405). Truc. II 4, 44. Haut. I 1, 103 (155). Pseud. IV 7, 88 (1184)[2]).

Quod L. Meunier opinatur, *quî* his locis genetiui formam esse, Corssenus (Voc. II p. 673 adn.) recte refellit.

2) Deinde de *quî* disseramus *aduerbio*. Exemplorum distributione a Beckero in Studemundi 'studiis' I. adhibita ita utamur, ut I) interrogationes proprias, II) interrogationes non proprias examinemus.

Quî ubi pro aduerbio usurpatur, instrumentali uel modali natura tamen seruata, *quomodo* potius quam *quare* significat. Natura inter-

---

1) Casu accidit, ut in oratione directa ubique *quanti*, nusquam *quî* legatur. Conf. Epid. I 1, 49 (51) quanti eam emit? Similiter: Epid. II 2, 110 (295) Most. III 1, 113 (646). III 2, 137 (822). IV 2, 57 (973). Pseud. III 2, 85 (875) IV 7, 74 (1170). Poen. IV 2, 75. Eun. V 5, 14 (984). Nou. (Ribb. com. p. 272) 115. Mera exclamatio occurrit: Eun. IV 7, 21 (791). *Quanti* est sapere! Similiter: Pers. IV 4, 47 (596). Caton. or. (ed. Iord.) p. 49, 4.

2) Conf. Studemundi stud. I 1 p. 169.

rogationum obliquarum fert, causam saepius non addi, quare id, quod interrogat aliquis, fiat.

I. Interrogationes propriae:

α) Aul. III 6, 27 (555) Volo ex te scire, *quî* sit agnus curio. # Quia ossa ac pellis totast. — Pseud. III 2, 77 (866). Poen. IV 2, 74.

β) Trin. IV 3, 47 (1054). Hoc *quî* in mentem uenerit mi? re ipsa modo commonitus sum. — Epid. III 3, 33 (414). Bacch. V 2, 38 (1157). Haut. IV 3, 30 (708). Hec. I 2, 28 (103). Ad. II 1, 25 (179). Naeu. (Ribb. trag. p. 278) 7.

Interrogatio ita pronuntiatur, ut nemo quae causa sit respondere iubeatur:

Most. II 1, 41 (388). Taceas: ego, *quî* istaec sedem, meditabor tibi. — Poen. V 2, 26. Rud. IV 2, 13 (918) Andr. II 1, 7 (307) Haut. III 1, 83 (492). Phorm. II 3, 51 (398). V 6, 15 (855). Pomp. Bon. (Ribb. com. p. 242) 110 (quo loco *qui* fortasse pro *quis* positum est).

II. Interrogationes non propriae:

Men. II 2, 62 (337) Sed miror *quî* ille nouerit nomen meum. # Minume hercle mirumst: morem hunc meretrices habent. — Epid. II 2, 100 (288). Truc. II 7, 4. Haut. II 3, 121 (362).

Interrogatio ita pronuntiatur, ut nemo ad eam respondere iubeatur:

Most. III 2, 26 (715). Hoc habet: repperi, *quî* senem ducerem. — Amph. II 2, 134 (776). II 2, 228 (858). Cist. I 1, 4 Poen. V 4, 38. Trin. III 2, 62 (688). Phorm. II 3, 34 (381). Hec. II 3, 6 (279). III. 1, 8 (288). IV 1, 58 (573). V 1, 24 (750). Phorm. I 2, 80 (130). II 3, 49 (396). V 7, 6 (889). Acc. (Ribb. trag. p. 149) 103. 104. Pacuu. (Ribb. trag. p. 84) 61.

Aul. IV 10, 48 (771) Si me nouisti minus,
Genere *quî* sim gnatus, hic mihi est Megadorus auonculus.

cum Wichmanno (l. c. p. 26) *quo* restituendum est contra libros, nam *quî* adiectiuorum more substantiuis non adicitur. Praeterea autem ablatiui proprii naturam prae se fert. — Legimus *quo genere gnatus*: Capt. II 2, 27 (277). II 2, 45 (295). Pers. IV 4, 45 (594). Pseud. II 1, 16 (590). Poen. pr. 110. Trin. II 2, 92 (373). In Capt. II 2, 27 (277) *Quo de genere gnatust illic Philocrates*? dubitanter Brixius proponit *Quo dic genere*, Beckerus (l. c. p. 145) *Dic quo genere*, quod eo mihi probatur, quod nusquam memini me legere *gnatus de genere*. Conf. etiam *summo genere gnatus*: Capt. II 2, 69 (319), Poen. V 4, 70; *eo genere gnatus:* Poen. V 4, 13; *istoc genere gnatus:* Pseud. I 3, 122 (356); *quo patre gnatus:* Afran. (Ribb. com. p. 211) 364.

Quid pro *quî* scribendum est cum Bentleio:

Eun. II 2, 59 (290) Mirór *quî* ex Piraeo ábierit: nam ibi custos publicest nunc. (MIRORQUID(EXP)IRAEO *A*, quid *CDEP*, quod *G*, qui *cum 'edd. antiquis' (B?) Fleckeisenus, Vmpfenbachius.*),

cum *quid* significet: *ad quem finem?* ('weshalb? zu welchem Zweck?') Exempla, quae *quid* praebent *accusatiuum* cum *uemendi* uerbis coniunctum, collegit Lorenzius ad Most. 404.

Denique addo exempla modo adlata docere, ea, quae Lorenzius ('Jahresbericht' II p. 634) ex Cauallino profert, non omnibus locis accommodata esse: 'Hiernach stimmt, dass dieses quî in indirecten Fragesätzen nicht nach einfach beschreibenden oder berichtenden Verben vorkommt, sondern nach solchen, die Unkenntniss und Zweifel oder Verwunderung bezeichnen; eqs.'

Liceat hoc loco adicere exempla ea, quibus *quî* eodem sensu, quo *utinam* (*uti, ut*) adhibetur. Locos collegerunt O. Seyffertus (in studiis Plaut.), Wichmannus (l. c. p. 29), alii. Atque loci, in quibus omnibus pronomen proxime abest a *quî*, hi sunt:

Cas. II 4, 1 *Quî* illum di deaeque omnes perdant. — Men. III 1, 6 (451). V 5, 31 (933). Pers. II 4, 25 (296). V 2, 6 (783). Rud. IV 4, 122 (1166). Trin. IV 2, 78 (923). IV 2, 155 (997). Phorm. I 2, 73 (123). Enn. (Ribb. trag. p. 57) 288. Lucil. II 8.

Qui usus ex interrogatiuo usu ita deriuandus est, ut non ipsum pronuntietur optatum, sed ut quaeratur, quomodo optanti possit satisfieri ('wie konnte ich wohl?' = 'könnte ich doch!'). Quod quamuis simile uideatur Graecorum scaenicorum mori, qui πῶς eodem fere sensu adhibent (conf. Schneidewinum ad Soph. Oed. reg. 765; Kuehnerum, gr. Gr II. p. 199, 6) tamen eo differt, quod *quî* non reperitur nisi in execrationibus (conf. Fleckeisenum in annal. philol. LX (1850) p. 246, Holtzium l. c. I p. 136. 379, Dziatzkonem ad Phorm. 123). Quare mihi non probatur Wichmannus l. c.: 'Solum per se positum est (*qui*) in imprecationibus neque tamen, utrum *quî* ex *hercle qui* coniunctis particulis desumptum sit, an ad finalia enuntiata reuocandum, statim exigi potest. Namque ut *di deaeque perdant* suppleri potest *uelim, studeo, opto* uerbis, ita ex eis, quae supra exposuimus, *qui* pro *ut* substitui posse apparet.'

II B. De *quî* pronominis usu relatiuo.

De nonnullis locis supra laudatis cum dubitauerimus, utrum pro interrogationibus obliquis an pro relatiuis essent accipiendi, uelut Epid. II 2, 100 (288) *Et repperi haec te quî abscedat suspicio*, liceat nunc de eis disserere, in quibus *quî* uoculam certum est relatiue usurpari.

1) Atque priore quidem loco de *quî* pretiali agamus. Exempla sunt haec:

Most. III 1, 7 (538) Danista adest, qui dedit ⟨argentum faenori,⟩ *Quî* amicast empta quoque ⟨opus in sumptus fuit.⟩

Pers. IV 4, 109 (661) *Quî* datur, tanti indica. (qui *Scioppius, Acidalius, Ritschelius,* quid *libri*).

Poen. V 7, 10. Periere, opinor, duodeuiginti minae, *Quî* hasce emi.

A notione pretiali prope absunt, quae in numero instrumentalium habeo: Aul. II 4, 31 (308). Capt. pr. 28. I 1, 33 (101).

Quanti usurpatur: Bacch. IV 7, 23 (821). Merc. II 4, 22 (490). III 1, 16 (514). Pseud. IV 6, 23 (1085). Rud. IV 3, 27 (966). Eun. I 1, 30 (75). Ad. II 2, 41 (249). Haut. I 1 103 (155). Cat. r. r. CXLIV 3.

2) Deinceps per totam hanc capitis partem quoniam permultis locis *quî* uoci praecedit substantiuum aliquod, quo referendum est, hos ita discernamus, ut substantiui et genus respiciamus et numerum: unde intellegamus, *quî casum*, ut ita dicam, *instrumentalem generis neutrius* in aduerbii usum transferri et cum quolibet genere numeroue coniungi.

a) Praecedit substantiuum, ad quod *quî* refertur:

Masc. sing.

α)[1]) Pacuu. (Ribb. trag. p. 82) 39. Qui <homo> se icit, quam illum eumpse *lapidem*, *quî* ipsa ictast, petit.

β) As. II 4, 13 (419) Vtinam nunc *stimulus* in manu mihi sit. # Quiesce, quaeso. # *Quî* latera conteram tua, quae occalluere plagis.

Capt. pr. 27. Coepit captiuos conmercari hic Aleos *Siquem* reperire posset *quî* mutet suom.

Capt. I 1, 33 (101) si queat *Aliquem* inuenire, suom *quî* mutet filium.

Cas. III 6, 21 *Gladium* Casinam intus habere ait, *quî* me atque te interimat.

Epid. II 2, 3 (185) Acutum *cultrum* habeo, senis *quî* exenterem marsuppium.

Bacch. IV 9, 15 (939) Bacchidem habet secum, ille olim ut habuit *ignem*, *quî* signum daret.

Most. I 3, 109 (266) Nimis uelim *lapidem*, *quî* ego illi speculo diminuam caput.

Pseud. I 3, 115 (349) Quid opust *gladio?* # *Quî* hunc nunc occidam atque me.

Trin. I 2, 92 (129) Dedistine hoc facto ei *gladium*, *quî* se occideret?

Trin. III 2, 61 (687) Tanton meliust te sororis causa egestatem exequi Atque eum me *agrum* habere quam te, tua *quî* toleres moenia?

Fem. sing.

α) Amph. I 1, 105 (261) Post ob uirtutem ero Amphitruoni *patera* donata aureast, *Quî* Pterela potitare rex est solitus.

Amph. I 1, 263 (419) Pterela rex *quî* potitare solitus est *patera* aurea.

Amph. I 3, 37 (535) Nunc tibi hanc *pateram*, quae dono mi illi ob uirtutem datast, Pterela rex *quî* potitauit.

---

1) Similiter infra α) adscribam enuntiatis, ubi *indicatiuus*, β) ubi *coniunctiuus* positus est.

Curc. IV 2, 10 (496) Quibus sui nihil est, nisi una *lingua*, *Quî* abiurant siquid creditumst?

β) As. III 1, 37 (541) *Aliquam* (*h. e.* ouem) habet peculiarem, *quî* spem soletur suam.

As. III 2, 43 (589) Nimis uellem habere *perticam*. # Quoi rei? # *Quî* uerberarem Asinos.

Aul. IV 1, 10 (588) Quasi pueris, qui nare discunt, scirpea induitur *rates*, *Quî* laborent minus, facilius ut nent et moueant manus.

Capt. V 4, 7 (1004) Itidem mi aduenienti haec *upupa*, *quî* me delectem, datast. Conf. p. 498. 499.

Most. I 3, 101 (258) Quid *cerussa* nam opust? # Malas *quî* oblinam.

Mil. III 1, 173 (768) nam ego inueni lepidam *sucophantiam*, *Quî* admutiletur miles usque caesariatus.

Pseud. I 1, 87 (89) *Restim* uolo Mihi emere. # Quam ob rem? # *Quî* me faciam pensilem.

Rud. II 3, 59 (390) Quia leno ademit *cistulam* ei quam habebat *ubi*que habebat, *Quî* suos parentes noscere potesset. (*ubi* h. e. *in qua.*)

Rud. II 3, 62 (393) Conclusit (cistellulam) ipse in uidulum, ne *copia* esset ei, *Quî* suos parentes nosceret. (ei *Luchsius*, eius *libri:* conf. Rud. 558, Trin. 175, Vid. II 32.)

Rud. II 6, 74 (558) tibi quidem edepol *copiast* Dum lingua uiuet, *quî* rem soluas omnibus.

Stich. II 2, 52 (376) *Lanam purpuram*que multam. # Hem, *quî* uentrem uestiam.

Trin. I 2, 98 (135) Nec *quî* deterior esset, faceres *copiam.*

Trin. III 2, 50 (676) Tum igitur *aquae* erit tibi cupido, *quî* restinguas 〈ocius〉.

(*Sic Ritschelius*, genus qui restinguas tuum *libri.*)

Trin. III 2, 52 (678) Ne *scintillam* quidem relinques, genus *quî* congliscat tuom.

Vid. (ed. Stud.) II 32 Di tibi illum faxint filium saluom tuom, Cum mihi, *quî* uiuam, *copiam* inopi facis.

Caec. Stat. (Ribb. com. p. 79) 275 Dum *taeniam*, *quî* uolnus uinciret, petit.[1])

Titin. (Ribb. com. p. 137) 29 *cretam* dum compescis, uestimenta *quî* laues.

Afran. (Ribb. com. p. 187) 187 . . *aquam* ex ceno haurire, *quî* lauerent manus.

Pomp. Bon. (Ribb. com. p. 241) 107 Non erat, *quî* corpus tremulum famula tutaret, *toga.*

(qui *Ribbeckius*, quid *libri*, quod *Ald.*, quae *Bothius.*)

1) Idem uersus legitur in incert. fragmentis trag. (Ribb. p. 272) 244.

Neutr. Sing.

α) Merc. II 4, 20 (488) Achillem orabo, ut *aurum* mihi det, Hector *quî* expensus fuit.

β) Aul. II 4, 31 (308) Censen *talentum* magnum exorari pote Ab istoc sene ut det, *quî* fiamus liberi?

Curc. IV 2, 33 (519) *Ecquid* das, *quî* bene sit? # *Malum.* # Tibi opust, *quî* te procures.

Bacch. IV 9, 48 (972) Nunc alteris etiam ducentis usus est, capto Ilio Qui dispensentur, ut sit *mulsum*, *quî* triumphent milites.

Men. II 2, 30 (304) Quom *nihil* est, *quî* illic homini diminuam caput.

Most. IV 2, 75 (992) Mihi, nisi ut erum metuam et curem, *nihil* est *quî* tergum tegam.

Merc. IV 1, 10 (676) *Aliquid* cedo, *Quî* uicini hanc nostram augeam aram ⟨Apollinis⟩.

Pers. I 3, 46 (126) Marsuppium habeat: inibi *paulum praesidi*, *Quî* familiarem suam uitam oblectet modo.

Poen. I 2, 64 *Quid* habetis, *quî* mage immortalis uos credam esse, quam ego siem?

Rud. IV 4, 40 (1084) *Hoc* neque istic usust et illi miserae suppetias feret, Si id dederit, *quî* suos parentis quaerat.

Trin. pr. 14 Quoniam ei, *quî* me aleret, *nil* uideo esse relicui.

Trin. I 2, 95 (132) Quid sectiust [aut quid interest], dare te in manus *Argentum* amanti homini adulescenti, animi inpoti, *Quî* exaedificaret suam incohatam ignauiam?

Trin. II 2, 73 (354) Is est inmunis quoi *nihil* est, *quî* munus fungatur suom.

Trin. II 4, 160 (561) Nam, *quî* uiuamus, *nihil* est, si illum amiserit.

Trin. III 2, 74 (700) Atque agrum dederis nec *quicquam* hic tibi sit, *quî* uitam colas.

Truc. V 17 Respice ergo ⟨atque⟩ accipe *hoc* ⟨sis⟩, *quî* istuc ecficias opus.

Andr. II 1, 7 (307) Quanto satiust, te *id* dare operam, *quî* istum amorem ex animo amoueas, Quam id loqui . .

Haut. IV 5, 30 (778) *Argentum* dabitur ei ad nuptias, Aurum atque uestem, *quî* . . comparet.

Hec. IV 1, 58 (573) Neque detractum eist *quicquam*, *quî* post possit nosci qui siet.

Phorm. IV 3, 50 (655) Sed mi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler, *Aliquantulum* quae adferret, *quî* dissoluerem Quae debeo.

Hec. V 1, 24 (750) Si *aliud* scirem, *quî* firmare meam apud uos possem fidem, Sanctius quam ius iurandum, id pollicerer tibi, Laches.

Enn. (Ribb. trag. p. 37) 169 Date *ferrum*, *quî* me anima priuem.

Acc. (Ribb. trag. p. 162) 201 Maior mihi moles, maius miscendumst malum, *Quî* illius acerbum cor contundam et comprimam.

Pomp. Bon. (Ribb. com. p. 248) 152 Ego rumorem parui facio, dum sit *rumen, quî* impleam.

Atell. inc. nom. (Ribb. com. p. 275) 6 Si *quid* monumenti nacta est, *quî* eum requireret.

(nactu *Politiani exc.*, qui eum *Lindemannus*, qui eorum *cod.*, quor *O. Muellerus*, requiretur *Politiani exc.*)

Fem. plur.

β) Curc. IV 2, 39 (525) Numquid uis, leno? # Istas *minas* decem, *quî* me procurem.

Mil. II 1, 61 (139) Itaque ego paraui hic intus magnas *machinas*, *Qui* amantis una inter se facerem conuenas.

Pseud. I 5, 72 (487) *quas* (*h. e.* minas) meo gnato des, *quî* amicam liberet.

Stich. II 1, 20 (292) Oratores mittere ad me donaque ex auro et *quadrigas, quî* uehar.

Caec. Stat. (Ribb. com. p. 56) 126 si *linguas* decem Habeam, uix habeam *satis* te *quî* laudem, Lache.

Cat. r. r. XII *Confibulas* ligneas, *quî* arbores comprimat.

Neutr. plur.

α) Andr. III 2, 32 (512) *multa* concurrunt simul, *Quî* coniecturam hanc nunc facio.

(faciam *Maduigius* [adu. crit. II p. 12] inutiliter, ut uidetur.)

β) Aul. III 5, 28 (498) Enim mihi quidem aequomst purpuram atque aurum dari, Salutigerulos pueros, *uehicla, quî* uehar.

Pseud. III 2, 38 (827) Quid tu? diuinis *condimentis* utere, *Qui* prorogare uitam possis hominibus?

Rud. IV 4, 66 (1110) Vbi sunt *signa*, *quî* parentis noscere haec possit suos.

Pacuu. (Ribb. trag. p. 120) 339 Vbi poetae pro sua arte falsa conficta autumant, *Quî* causam humilem dictis amplent.

(quia *W.*, amplent *W. m. pr.*, amplant *cet.*; amplent *praefert Ribbeckius*: *possis tamen etiam* amplant *lectionem tueri.*)

b) Nullum substantiuum praecedit locis his:

β) Aul. II 2, 10 (185) Pol sist animus aequos tibi, sat habes, *quî* bene uitam colas.

Capt. III 4, 49 (581) Quia tute ipse eges in patria nec tibi, *qui* uiuas, domist,
Omnis inueniri similis tui uis.

Cist. IV 2, 48. Dispérii misera! quid ego [meae] erae dicam? quae me opere tanto (cistellulam) Seruare iussit, *quî* suos Selenium parentis Facilius posset gnoscere, quae erae meae suppositast parua.

(Vt septenarius restitueretur, *meae* deleui.)

Bacch. I 1, 51 (84) Da tu, *quî* bene sit, ego, ubi sit, tibi locum lepidum dabo.

Men. IV 2, 72 (635) Non mihi censebas esse, *qui* te ulciscerer.

Men. V 1, 43 (743) Quaeso hercle, mulier, si scis, monstra, quod bibam Tuam *quî* possim perpeti petulantiam.

Mil. III 1, 97 (690) Dicat: 'da mihi, uir, Calendis meam *qui* matrem munerem, Da, *quî* faciam condimenta.

Pseud. I 5, 127 (541) Quid si hisce inter se consenserunt, Calliphо, Aut de conpecto faciunt consutis dolis *Quî* argento circumuortant?

Poen. V 4, 94 Vix hoc uidemur credere. # Magis, *qui* credatis, dicam.

Trin. II 2, 74 (355) Deum uirtute habemus et *qui* nosmet utamur, pater,
Et aliis *qui* comitati simus beneuolentibus.

Trin. III 2, 27 (653) Atqui istum ego agrum tibi relinqui ob eam rem denixe expeto, Vt tibi sit, *quî* te conrigere possis.

Trin. III 2, 62 (688) Nolo ego mihi te tam prospicere, *qui* meam egestatem leues, Sed ut inops infamis ne sim.

Truc. I 2, 10 Sin uident quempiam Se adseruare, obludunt, *qui* custodem oblectent.

Truc. II 7, 24 Valeo et uenio ad minus ualentem et, melius *qui* ualeat, fero.

Andr. pr. 6 Nam in prologis scribundis operam abutitur, Non *qui* argumentum narret, sed *qui* maliuoli Veteris poetae maledictis respondeat.

Eun. III 2, 35 (488) Nam hercle nemo posset, sat scio, Qui haberet *quî* pararet alium, hunc perpeti.

Eun. V 3, 11 (920) Spero me habere, *qui* hunc meo excruciem modo.

Haut. IV 8, 14 (855) Des, *qui* aurum ac uestem atque alia, quae opus sunt, comparet.

Phorm. V 2, 5 (770) etiam argentumst ultro obiectum, Vt sit, *quî* uiuat, dum aliud aliquid flagiti conficiat.

Hec. V 4, 29 (869) Immo etiam, *qui* hoc occultari facilius credas, dabo. (quo hoc occultari posse facilius *D.*)

Ad. V 8, 27 (950) Huic demus, *quî* fruatur.

Caec. Stat. (Ribb. com. p. 74) 242 . . . si egebis, tibi dolebit, mihi sat est,
Quî aetatis, quod relicuom est, oblectem meae.

Cat. r. r. VI 4. Salicem Graecam circum arundinetum serito, uti siet, *quî* uineam alliges.

Cat. r. r. XXXIX 2. Vbi sarseris, *qui* colorem eundem facias, cretae crudae partes duas, calcis tertia commisceto.

Ex exemplis modo perlustratis cognoscimus haec: *Qui* nusquam substantiuis adiectiuorum more adponitur: pro pronomine ita usurpatur, ut enuntiatum relatiuum ad enuntiatum primarium solutiore quodam modo adnectat: idem ualet, siue substantiuum aliquod praecedit, ad quod referatur, quodque eius est genus quique numerus, siue ad totius enuntiati conexum est referendum. Hac pronominis natura magis magisque neglecta, aduerbii uel coniunctionis uice

fungitur atque in enuntiatis eis, quae consilium alicuius uel finem exprimunt, idem fere uidetur significare, quod *ut finale*: ita tamen ut modalem possis recognoscere notionem. Ex quo fit, ut in eiusdem enuntiati uariis membris modo *qui* modo *ut coniunctio* eadem significatione inueniantur.

Aul. IV 1, 10 (588) Quasi pueris, qui nare discunt, scirpea induitur rates, *Quî* laborent minus, facilius *ut* nent et moueant manus.

Mil. III 1, 173 (768) nam ego inueni lepidam *sucophantiam*, *Quî* admutiletur miles usque caesariatus, atque *uti* Huic amanti ac Philocomasio hanc ecficiamus copiam.

Trin. III 2, 62 (688) Nolo ego mihi te tam prospicere, *quî* meam egestatem leues, Sed *ut* inops infamis ne sim.

Neque mirum est, quod pro *quî*, quod in Calliopianis legitur, in Bembino *ut* substitutum est:

Phorm. IV 3, 50 (655) Sed mi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler, Aliquantulum quae adferret, *quî* dissoluerem Quae debeo.

(UTDISSOLUEREM *A*, qui dissoluerem *reliqui*, *Donatus in lemm.*)

Illud uero manifestum est, notionem omnibus locis subesse eandem, quam in *quî* interrogatiuo nusquam deesse supra demonstraui, *instrumentalem modalem*: quam cum retineat, in aperto est, simili, non eodem munere fungi *quo*, *qua* ablatiuos: sed singula persequar. Exempla cum colligam, quibus quod modo dixi uerum esse probetur, illud ante omnia praemittendum est, eos me locos non adlaturum esse quibus *quo* et *qua* ablatiui adiectiuorum more cum substantiuis coniuncti sunt. Nam cum *quî* adiectiuum non sit, haud facile cum illis confunditur; neque dubitamus, quin cum Schegkio restituendum sit *quo pacto*

Pacuu. (Ribb. trag. p. 113) 286: Consilium subito, mens, quod enatumst modo, *Quo pacto* inimicis mortem et huic uitam afferas,

ubi Ribbeckius librorum auctoritate in errorem inductus *qui pacto* edidit, quod librarii mendum eodem iure tollendum est, quo '*qui pacto*' in Mil. IV 1, 18 (965), ubi codices BaCDa *quid*, BbDc *qui*, FZ *quo* exhibent, et '*quipropter*' in As. III 3, 40 (630) ab editoribus sublata sunt.

Accedamus ad ea exempla, quibus *quo* et *qua* ad substantiuum aliquod praecedens referuntur:

1) *quo* et *qua*, cum notione instrumentali modali careant, differunt a *quî*:

Cas. V 2, 50 hoc ornatu, *quo* uides.

Men. V 1, 49 (749) eodem die, *quo*.

Merc. I 1, 38 (38) eodem die, *quo*.

Pers. III 3, 24 (429) eodem pretio, *quo*.

Stich. II 2, 44 (368) cercurum, *quo* maiorem . . .

Lucil. XXVI. 54 at Romanus populus uictus uei, superatus proeliis Saepest multis, *bello* uero numquam, *quo* sunt omnia.

(in quo *codd.*, *quo L. Muellerus.*)

Amph. I 3, 34 (532) Nam *qua nocte* ad me uenisti, *eadem* abis.
Amph. II 1, 68 (615) forma, aetate item, *qua* ego sum.
Capt. III 4, 31 (563) Vna opera mihi sunt sodales *qua* iste.
Merc. II 1, 33 (257) conspicor Nauem ex Rhodo, *quâst* heri aduectus filius.
Merc. V 4, 56 (1016) Immo dicamus senibus legem censeo Priusquam hinc intro abeamus, *qua* se teneant contentique sint.
Stich. IV 1, 25 (530) Mare, *quo* ambo estis uecti.
Trin. IV 4, 12 (1104) uidebis iam illic nauem, *qua* aduecti sumus.
Lucil. XXVIII 54: Vt ei progeniem antiquam, *qua* est Maximus Quintus, *Qua* uaricosus uatax.

Praepositione addita:
Men. II 2, 70 (345) nauis *abs qua* cauendum nobis sane censeo.
Ad. III 2, 46 (344) Peiore res loco non potis est esse quam *in quo* nunc sitast.
Acc. (Ribb. trag. p. 208) 557: hanc sedem, *in qua* . . . pertuli.
Lucil. V 9: Quando in eo numero mansisti, *quo in* maxima nunc est Pars hominum.
As. IV 1, 20 (765) ni in *quadriduo* Abalienarit, *quo ex* argentum acceperit, Tuus arbitratus sit.

2) *quo* et *qua* instrumentalis modalis munere fungi uidentur locis his:
Curc. IV 3, 6 (538) Non edepol ego nunc mediocri macto te *infortunio*, Sed *eopse illo, quo* mactare soleo quoi nil debibeo.
Cas. IV 3, 12. *Illo morbo*, *quo* dirumpi cupio, non est copia.
Cas. V 2, 51. Vt senex *hoc eodem poculo, quo* ego, biberet.
Poen. IV 2, 73. *Quomodo?* # *Eodem, quo* soror illius.
Trin. III 2, 84 (710) *eodem pacto*, *quo* . .
Curc. IV 3, 2 (534) Non ego nunc mediocri incedo iratus *iracundia,* Sed *eapse illa, qua* excidionem facere condidici oppidis.
Amph. II 2, 129 (761) Obsecro, etiamne hoc negabis, te auream *pateram* mihi Dedisse dono hodie, *qua* te illi donatum esse dixeras?
Amph. II 2, 139 (771) *pateram* proferto foras, *Qua* hodie meus uir me donauit.
Amph. II 2, 148 (780) Estne *haec patera*, *qua* donatu's, illi?
Capt. V 1, 17 (937) *Lingua* nullast, *qua* negem, quidquid roges.
Bacch. IV 8, 47 (888) Si tibist machaera, at nobis *ueruinast* domi, *Qua* quidem te faciam, si tu me inritaueris, Confossiorem soricina nenia.
Most. I 3, 7 (163) Haec illast tempestas mea, mihi quae *modestiam* omnem Detexit, tectus *qua* fui.
Rud. I 3, 26 (209) Quae mihist *spes*, *qua* me uiuere uelim?
Rud. I 4, 3 (222) perdidi *spem, qua* me oblectabam.
Stich. I 3, 31 (185) *Oratio* una interiit hominum pessume, Atque optuma hercle meo animo et scitissuma, *Qua* ante utebantur.
Acc. (Ribb. trag. p. 148) 96 *Hoc*inest *quo* tam temeriter tu meam beniuolentiam Interisse es ratus?

Lucil. IX, 22. 23 'meilitiam' tenuest i *pilai qua* ludimu.' *pilam, Qua* pisunt, tenues. (*Sic L. Muellerus*, tenue si pilam in *cd*; pilam qua *L. M. ex Velio*; pilum quo *v.*)

Cat. r. r. LXXXVIII, 2: ea *muries* erit, *qua* . . condias.

Consistamus hic in exemplis enumerandis. Quaeritur, utrum, ubi notio subest instrumentalis, inter *quo*, *qua* et *quî* nihil omnino intersit. Et recte Wichmannus (l. c. p. 35): 'Optime' inquit, 'intellegimus rationem ex Amph. I 2, 265, ubi substantiuum secundarium enuntiatum non praecedit recteque uertitur: (Quid Amphitruoni a Telebois est datum? Pterela rex *quî* potitare solitus est, patera aurea.) Was ist von d. T. geschenkt worden? *Woraus* der König zu trinken pflegte: eine goldene Schale.' Conferas etiam Pomp. Bon. (p. 491): Non erat, *quî* corpus tremulum famula tutaret: toga. Neminem fugit, *quî*, cum ad quoduis genus numerumue construatur, eodem illo solutiore modo enuntiatum secundarium primario adnectere, quo, quod nos dicimus: 'womit, wodurch, wofür, woraus, wovon'. Conferas uersum, qui *quo* exhibet:

Pseud. I 5, 151 (564) Suspiciost mihi nunc uos suspicarier, Me *idcirco* haec tanta facinora ⟨his⟩ promittere, *Quo* uos *oblectem*, hanc fabulam dum transigam.

(Quo *A*, Quin *BCDZ*, Qui *F*, *Pius*). (Vbi cum *idcirco* praecedat, praetulerim *Quo*) cum uersibus his:

Pers. I 3, 46 (126) Marsuppium habeat: inibi paullum praesidi, *Quî* familiarem suam uitam *oblectet* modo.

Truc. I 2, 10 Sin uideant quempiam Se adseruare, obludunt, *quî* custodem *oblectent*.

Caec. Stat. (Ribb. com. p. 74) 242 mihi sat est, *Quî* aetatis quod relicuom est, *oblectem* meae.

uersum: Rud. I 4, 3 (222) perdidi *spem, qua* me oblectabam.

cum uersibus: Merc. II 3, 28 (363) Nec *quî* rebus meis confidam, mi ulla *spes* in corde certast.

Rud. I 3 26 (209) Quae mihist *spes, qua* me uiuere uelim?

uersum: Capt. V 1, 17 (937) *lingua* nullast, *qua* negem, quidquid roges.

cum uersibus: Caec. Stat. (Ribb. com. p. 56) 126. si *linguas* decem Habeam, uix habeam *satis* te, *quî* laudem, Lache.

Curc. IV 2, 10 (496) Quibus sui nihil est, nisi una *lingua, Quî* abiurant siquid creditumst?

Conf. etiam Cas. V 2, 51 cum u. Amph. I 1, 105 (261). I 3, 37 (535). I 1, 263 (419). Praebet ergo *quî* uim aliquam indefinitam, *quo, qua* uim demonstratiuam uel correlatiuam. De simili uulgari consuetudine, qua ad personas referuntur aduerbia supra iam dixi (p. 481). Huc pertinent, ut exemplis utar: *ubi* Mil. II 1, 40 (118) nauem illam, *ubi* (in qua) uectus fui. Rud. II 3, 59 (390) cistulam, quam habebat *ubi*que (h. e. *in qua*) habebat, *quî* . . noscere potesset. As. IV 1, 22 (767) cera, *ubi* (h. e. *in qua*) facere possit litteras; *quo* Cat. r. r. X, 4: Dolia, *quo* (h. e. *in quae*) uinaceos condat, decem. Stich. I

3, 75 (231) Parasitum inanem, *quo* (h. e. *in quem*, nam de se ut inani uase loquitur) recondas reliquias; *unde* As. I 2, 13 (139) Ego pol te redigam eodem, *unde* orta's, ad egestatis terminos. et saepius. (Holtzeus l. c. I p. 58.). Quam sermonis consuetudinem cum loco laudato attigerit, Wichmannus pergit: ‘Quid ergo clarius est, quam *qui unde* ualere nulla generis et numeri relatione cum substantiuo intercedente?’ idque nobis uult persuadere exemplis uelut: ‘Quis est Peniculus? *Qui* extergentur baxeae’. ‘lingua, *qui* abiurant.’ Sed illum errasse patet. Errauit autem eo, quod uim instrumentalem omnino non curauit atque uerbis eis in errorem inductus est, quae cum flagitent aut ablatiuum merum aut instrumentalem tum cum *qui* (quo instrumento) tum cum *unde* (a quo homine, qua re) coniunguntur. Aliud uero est Mil. III 1, 172 (767) ‘inueni sucophantiam, *qui* admutiletur’, aliud Bacch. II 2, 55 (233) ‘machinabor machinam, *unde* aurum ecficiam’, sim. Tamen haud ignoro, posterioribus temporibus cum *quî* ex consuetudine euanesceret, *unde* ablatiuum saepius *qui* instrumentalis locum occupare: Conf. Corn. Nep. III 3, 2 ‘in tanta paupertate decessit, ut’ *quî* efferretur, uix reliquerit’ et V 4, 3 ‘qui, *unde* efferrentur, non reliquissent’. Atque his qui sequuntur locis *unde* et *quomodo* idem significant quod *quî*: Cic. de harusp. resp. 29 ‘alterum putabo regem, si habuerit *unde* tibi soluat quod ei per syngrapham credidisti’. Liu. XXVI 35, 7 ‘ne *unde* redimantur quidem quicquam superesse’. XXVI 35, 10 ‘nam *unde*, cum pecunia in aerario non esset, paraturos naualis socios?’ Sen. dial. I 4, 5 ‘*unde* possum scire? . . *unde* scio . .?’ VI 22, 1 ‘*unde* enim scis . .?’ Augustin. de ciu. Dei XVI 24, 12 ‘*unde* sciam?’ et XVIII 44 ‘*quomodo* sciam . .?’: quibus locis Plautus *quî* scripsisset. Quod quoniam satis constat, uberius explanare operae pretium non uidetur. Redeamus ad propositum. Atque quod supra dixi, *quî* aduerbio enuntiatum secundarium solutiore modo adiungi, contra *quo*, *qua* adiectiua artius inter se coniungere enuntiata, id ex eo apparet, quod correlatiuo pronomine praecedente hae formae usurpantur exceptis locis his:

Capt. V 4, 7 (1004) *haec* upupa, *quî* me delectem.

Truc. V 17. accipe *hoc* ⟨sis⟩, *quî* . . ecficias.

Curc. IV 2, 39 (525) *Istas minas* decem, *quî* me procurem.

Trin. III 2, 61 (687) *cum* me *agrum* habere, quam te, tua *quî* toleres moenia?

Amph. I 3, 37 (535) Nunc tibi *hanc pateram*, quae dono mi illi ob uirtutem datast, Pterela rex *quî* potitauit.

Pacuu. (Ribb. trag. p. 82) 39 *illum eumpse lapidem*, *qui* ipsa ictast petit.

Iuuat denique animum aduertere ad uersus

Andr. III 1, 7. 8 (307. 308) Quanto satiust te *id* dare operam, *quî* istum amorem ex animo amoueas, Quam *id* loqui, *quo* magis lubido frustra incendatur tua.

quibus *quî* (quo modo) et *quo* (eas res, quarum ope) eleganter sunt distincta.

Pergimus iam in congerendis, quae *quo, qua* exhibent, exemplis:

2) Substantiuo nullo praecedente *quo* et *qua* in aduerbii notionem transeunt:

a) *qua*

qua ita usurpatur, ut subintellegas: *uia*, *ratione* sim.

Aul. III 1, 2 (404) Date uiam, *qua* fugere liceat (quam *J*).

Aul. IV 4, 20, (639) Tempta *qua* lubet.

Cist. IV 2, 59. uestigium hic requiro, *Qua* aufugit quaedam nescio quo mihi.

Most. IV 2, 53 (969) Scio *qua* me ire oportet, et quo uenerim noui locum.

Mil. II 3, 58 (329) Nam nihil est (*sc.* uiae), *qua* hinc huc transire ea possit, nisi recto ostio.

Men. II 1, 12 (237) Oras, *qua* adgreditur mare.

Pseud. I 5, 9 (424) *Qua* in commeatum uolueram argentariam Proficisci, ibi nunc mihi oppido obsaeptast uia.

Truc. II 2, 49 Quid mâceria illa ait, in horto quaest quae in noctes singula Latere fit minor, *qua* is ad uos damnis permensust uiam?

Enn. ann. (ed. Vahlen.) 470 ingenti uadit cursu *qua* redditus termo est.

ann. 599 *qua* murum fieri uoluit, urgentur in unum.

Acc. (Ribb. trag. p. 217) 630 subter saxa ad laeuam, *qua* mons mollibat mare.

Pacuu. (Ribb. trag. p. 281) 5 *Qua* uix . . gressio est. (quà uix *Hermannus*, qua uia *Priscianus*, *eqs.*).

Naeu. (Ribb. trag. p. 9) 22: *quaque* incedunt.

Inc. inc. (Ribb. trag. p. 250) 105: sceptra mihi liquit Pelops, *Qua* Ponto ab Helles . . . Vrgetur Isthmus.

Cat. r. r. I, 3: amnis *qua* naues ambulant.

Cat. r. r. XXIX partem quartam circum oleas ablaqueatas, *qua* maxime opus erit, addito (quam maxime *I. B. Br. R.*).

Cat. r. r. XLI, 3: artitoque ea, *qua* terebraueris (quam *P*, ex qua *Klotzius*).

Cat. r. r. XLIV: *Qua* locus recte ferax erit, . . . ea omnia eximito (qui *a. V.*, locus qui *Br.*).

Cat. r. r. XLIV: *Qua* locus ferax non erit, id plus concidito. (qui *a. V.*)

Mil. arg. II, 11. medium parietem Perfodit seruos, commeatus clanculum *Qua* foret amantum.

Mil. II 1, 65 (143) perfodi parietem, *Qua* commeatus clam esset hinc huc mulieri.

Mil. II 2, 69 (224) Intercludе commeatum inimicis, tibi moeni uiam. *Qua* cibatus commeatusque ad te et legiones tuas Tuto possit peruenire.

Cat. r. r. CXII, 3: Vbi inpleueris dolium, operculo operito, relinquito, *qua* interspiret.

Cat. r. r. CXIII, 1: Relinquito, *qua* interspiret uinum.

Cat. r. r. CLXI, 4: Deinde fossulas facito, *qua* radices asparagi demittas.

Cat. r. r. XXI, 3: Supra imbrices extrinsecus cupam pertundito, *qua* clauus eat, ... pertusum (*sc.* foramen) utrimque secus, *qua* clauus eat.

Cat. or. (ed. Iord. p. 49) 4: O quanti ille agros emit, *qua* aquam duceret.

b) *quo*

1) *idcirco* — *quo*.

Pseud. I 5, 151 (564) Suspiciost mihi nunc uos suspicarier, Me *idcirco* haec tanta facinora ⟨his⟩ promittere, *Quo* uos oblectem, hanc fabulam dum transigam.

(Quo *A*, Quin *BCDZ*, Qui *F*, *Pius.*)

2) *non* (*eo*) — *quo*, 'nicht als wenn, als ob'; quod *eo* antecedit, *quo* praefertur.

Amph. III 2, 32 (913) Quor dixisti? inquies. ego expediam tibi. *Non* edepol *quo* te esse impudicam crederem.

Eun. I 2, 16 (96) *Non* pol *quo* quemquam plus amem aut plus diligam, *Eo* feci: sed ita erat res, faciundum fuit.

Eun. pr. 28 Si id est peccatum, peccatum inprudentiast Poetae, *non quo* furtum facere studuerit.

Haut. III 2, 43 (554) *Neque eo* nunc dico, *quo* quicquam illum senserim: Sed siquid, nequid:

(quo *A*, quod *BCDEFGP*)

Ad. V 3, 39 (825) Hoc licet inpune facere huic, illi non licet, Non *quo* dissimilis res sit, sed *quo* is qui facit.

3) *quo* ablatiuus (merus) est differentiae uel gradus, insequente comparatiuo aliquo (quo minus = quanto minus 'um was weniger', sim.).

Capt. II 3, 70 (430) Et *quo minus* dixi quam uolui de te animum aduortas uolo.

Merc. II 1, 23 (247) *Quo magis*, quid facerem, cura cruciabar miser.

(quo magis *A*, *Camerarius*, Quod agis *BC*, Quid agis *DFZ*)

Stich. I 3, 8 (162) Atque illa puerum me gestauit paruolum, *Quo minus* laboris cepisse illam existumo.

Andr. II 5, 18 (429) Ego illam uidi: uirginem forma bona Memini uidere: *quo aequior* sum Pamphilo, Si se illam in somnis quam illum amplecti maluit.

Andr. IV 1, 31 (655) Immo etiam, *quo* tu *minus* scis aerumnas meas, Haec nuptiae non apparabantur mihi.

Eun. IV 5, 11 (737) At nescibam id dicere illam, nisi quia Correxit miles, *quo* intellexi *minus*: nam me extrusit foras.

(QUO[D] A. D *add.* A[2], quod *rel.*, *Fleckeisenus*, quo *Vmpfenbachius*, *Muellerus, Pr. Pl. p. 353.*)

Phorm. II 2, 14 (328) *Quo magis* noui, tanto saepius.

Hec. V 1, 12 (738) *Quo magis* omnis res cautius ne temere faciam adcuro.

Ad. IV 5, 46 (680) Et scio: nam te amo: *quo magis* quae agis curae sunt mihi.

Cat. (ed. Iord. p. 23) orig. V, 1 *quo maiore* opere dico suadeoqūe..

Quo finem uel consilium exprimit locis his:

Aul. pr. 27 Feci thensaurum, ut hic reperiret Euclio, *Quo* illam *facilius* nuptum, si uellet, daret.

Aul. pr. 33 id ea faciam gratia, *Quo* ille eam *facilius* ducat, qui compresserat.

Men pr. 10/11 Omnis res gestas esse Athenis autumant, *Quo* uobis illud Graecum uideatur *magis*.

Poen. III 3, 56 Immo, ut ipse nobis dixit, *quo* accures *magis*,

Trecentos nummos Philippos portat praesidi.

(ipse ut *inutiliter* Muellerus, Pr. Pl. p. 360.)

Poen. IV 2, 83. *Quo* id *facilius* fiat, manu eas adserat Suas poplaris liberali causa.

Poen. V 2, 149. Vt adflet! *quo* illum gestum faciat *facilius*.

(*Sic A,* quo illud gestu faciat facilius *BD,* quis *falso Geppertus.*)

Truc. pr. 19. Ea se peperisse puerum simulat militi, *Quo citius* rem ab eo auerrat cum puluisculo.

Andr. II 1, 8 (308) Quanto satiust te id dare operam, quî istum amorem ex animo amoueas,

Quam id loqui, *quo magis* lubido frustra incendatur tua.

Eun. I 2, 70 (150) Id amabo adiuta me, *quo* id fiat *facilius*.

Haut. III 2, 31 (542) Iocon an serio illaec dicat nescio, Nisi mihi quidem addit animum, *quo* lubeat *magis*.

Haut. V 1, 41 (914) Quidni? *quo* uerba *facilius* dentur mihi.

Phorm. I 2, 54 (104) et *quo magis* diceres, Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem.

Phorm. V 6, 38 (878) Immo etiam dabo, *Quo magis* credas.

Cat. r. r. V, 6 Bubulcis obsequitor, partim, *quo libentius* boues curent.

Cat. r. r. LXIV, 1 Factores, ut in tabulato diu sit, ut fracida sit, *quo facilius* efficiant.

(fracida sit, qua *P*, facilius oleum *ins. I. I — G. A.*)

Cat. r. r. CLVII, 6 *Quo libentius* edas, aceto mulso spargito.

Cat. r. r. XXXIII, 4 circum capita addito stercus paleas, uinaceas, aliquid horum, *quo rectius* ualeat.

Denique congeram exempla, quae *quo minus* praebent: quae uoces nondum adeo in unum corpus coaluerunt apud priscos scriptores, ut apud posteriores aetate, immo etiam *minus quo* inuerso uerborum ordine legimus.

Amph. pr. 84: Qui sibi mandasset delegati ut plauderent, Quiue alter *quo* placeret fecisset *minus*, Eius ornamenta et corium uti conciderent.

Andr. I 2, 26 (197) Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis Fallaciae conari, *quo* fiant *minus*: (*sc.* te in pistrinum dedam).

Andr. IV 2, 17 (700) Si poterit fieri ut ne pater per me stetisse credat, *Quo minus* haec fierent nuptiae, uolo.

Hec. IV 4, 8 (630) Ne reuereatur, *minus* iam *quo* redeat domum.

Eodem sensu legitur *quo secius*:

Afran. (Ribb. com. p. 201) 292: Nisi impediret ingeni imbecillitas Metusque me, *quo secius* me colligam.

Quaestionem proponit Wichmannus (l. c. p. 25), quare sermonis usu non comprobatum sit: *prohibere quî minus*, *facere quî minus*. '*Facio*,' inquit, '*quo minus nuptiae fiant* uult dicere, eo quod ego facio, nuptias non fieri, ut *quo* relatiui pronominis ablatiuum ad *facere* notionem referendum esse appareat. *Quo minus fiant* igitur non in opinione mea modo uersatur, sed sequitur ut uerum aliquod ex eo, quod facio. *Facio qui minus nuptiae fiant* significat me id agere, ne nuptiae fiant, neque tamen iam scire num futurum sit, ut finem consequar. Neque aliter *prohibere quo minus* q. e. eo, quod prohibeo, aliquid non fit; *prohibere qui minus* nunquam acceptum est, quia *prohibere* notioni non studium subest, sed actio, unde aliquid sequitur, et finis uel studium agendi semper *ne* coniunctione redditum est, cf. Sall. Iug. c. 40, 2. Andr. I 2, 27'. Hoc falsum esse ex eo apparet, quod Wichmannus, ut solet — et, qui eadem sententia fuit, Haaseus (Reisig-Haase p. 571 adn. 490) —, notionem instrumentalem confundit cum mera ablatiui notione. In utroque autem enuntiato significatur finis uel consilium: *Quo* ablatiuus differentiae referendus non est ad notionem *faciendi*, sed artius coniungendus cum *minus* negatione. *Quo minus* idem est atque *ut eo* (uel *tanto*) *minus*. Contra *quî* instrumentalem exhibet sensum; in enuntiato: 'facio, quî minus nuptiae fiant' *minus* cohaeret cum *fiant* uerbo: Poeta igitur si *quî* scripsisset, hoc uoluisset: 'facio hoc, *ut hoc modo* nuptiae minus fiant (uel *prohibeantur*) Conf.

Poen. V 4. 94. Vix hoc uidemur credere # Magis *quî* credatis dicam: Nam uostra nutrix primum me cognouit.

ubi cum Hanno filias repperit Anterastylem et Adelphasium suasque agnoscit: Hoc uidemur, inquit, *uix* credere! Tum ille: Hoc ut *magis* credatis, uobis dicam, uestram nutricem me primum cognosse! (quod *magis* hoc in exemplo, non *minus* occurrit, id non offendit. De collocatione *magis quî* conf. Hec. IV 4, 8 (630) p. 502, ubi *minus* . . *quo* legitur). Contra Phorm. V 6, 38 (877) legimus: 'Immo etiam dabo *Quo magis* (= ut eo magis) credas'. Idem elucet ex exemplis his: Aul. IV 1, 10 (588) pueris induitur rates, '*quî* laborent minus, facilius ut nent et moueant manus' (= quî minorem laborem habeant'; contra 'quo minus laborent' est: 'ut nullum laborem habeant'). Poen. I 2, 64 Quid habetis, *quî* mage immortalis uos credam esse quam ego siem? Cist. IV 2, 48 quae me (cistellulam) seruare iussit, *quî* suos Selenium parentis facilius posset gnoscere. Truc. II 7, 24

ualeo et uenio ad minus ualentem, et, melius *quî* ualeat, fero. Hec. V 4, 29 (869) Immo etiam *quî* hoc occultari facilius credas dabo.

4) Accedamus ad id genus exemplorum, quae *finem* uel *consilium* alicuius exprimunt, in quo tamen cum coniunctione instrumentali *quo* comparatiuus coniunctus non est. Facile *quî* substituas: nimirum *quo* etiam hic *quî* uocis partes suscipit eodem modo, quo *quocum* in *quîcum* instrumentalis locum successisse iam supra uidimus.

Capt. III 1, 33 (493) Consilium qui iniere, *quo* nos uictu et uita prohibeant, Is diem dicam.

Epid. II 2. 104 (286) ne te censeat,
Fili causa facere. # Docte # *Quo* illum ab illa prohibeas . .

Trin. II 2, 10 (288) Quod manu nequeunt tangere, tantum fas habent, *Quo* manus abstineant.

Amph. II 2, 204 (834) Per supremi regis regnum iuro et matremfamilias Iunonem, quam me uereri et metuerest par maxume, Vt mi extra unum te mortalis nemo corpus corpore Contigit, *quo* me inpudicam faceret.

Andr. III 1, 14 (472) Hanc simulant parere, *quo* Chremetem absterreant.

Cat. r. r. LXIV, 1. Leguli uolunt, uti olea caduca quam plurima sit, *quo* plus legatur.

Poen. pr. 39. Neue ambitionis causa extrudantur foras, *Quo* deteriores anteponantur, boni.

Haut. I 1, 75 (127) pro se quisque sedulo Faciebant, *quo* illam mihi lenirent miseriam.

Ad. II 4, 6 (270) Ne id adsentandi magis quam *quo* habeam gratum facere existumes.

Andr. II 1, 8 (308) Quanto satiust te id dare operam, *quî* istum amorem ex animo amoueas Quam id loqui, *quo* magis lubido frustra incendatur tua.

Dubitat Pottius (Etym. Forsch. I p. 141) utrum *quo* his in exemplis *ablatiuus* sit *differentiae* an *ablatiuus instrumentalis*: 'Das quo ohne Comparativ Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant könnte ganz eigentlich Ablativ sein: damit sie durch dies Mittel oder auf diese Weise (hoc modo) u. s. w. Ueberlegt man sich aber den häufigen Gebrauch bei Comparativen, wo quo nur für ut eo (damit desto) stehen kann, wie: Id adiuta me, *quo* id fiat *facilius*, und namentlich auch in quo minus, wo das minus die Verringerung einschliesst: dann sieht man wohl, quo zeige hier wahrscheinlich ein mit eo correspondirendes Grad-Verhältniss an, dessen eigentliche Begründung aber in ein nicht ganz leicht zu lösendes Dilemma führt. Einerseits könnte nämlich ein Abl. mensurae gemeint sein, wie wir ihm nicht bloss in: Magnos homines *uirtute metimur*, non *fortuna*, sondern auch zur Bezeichnung des *um wie viel* (multo, paullo, nihilo und so auch quo, eo) Krueger §. 391 begegnen. Auf der andern Seite gäbe aber auch das räumliche quo (wohin) eine passende Vermittlung'; eqs. Iam uero cum Plauti temporibus *quo*

ablatiuus merus uim instrumentalem iam exhibeat, non est quo gradationem in eis structuris desiderari statuamus, quibus comparatiuus inest.

Paucis denique complectar ea, quae ex *quî* uocis usu relatiuo cognouimus:

Quî nusquam substantiuis adiectiuorum more adponitur. Vsurpatur pro substantiuo atque omnibus locis notionem exhibet *instrumentalem modalem*. *Quo* et *qua* ablatiui sunt proprii atque tribus illis muneribus fungi iam coeperunt, quae in ablatiuum, qui uulgo dicitur, coaluerunt.

Quî et *quo, qua* ad aduerbii uel coniunctionis notionem descendunt. Eadem fere sunt significatione, ubi *quo, qua* ad *quî* uocis prouinciam — ad usum instrumentalem — accedunt ita, ut non de omnibus locis certum fieri possit iudicium, quibus usus syntacticus et *quo, qua* et *quî* concedit; uelut de uersibus his:

Haut. V 2, 36 (989) nunc filia

Postquamst inuenta, uera inuentast causa, *qua* te expellerent. (QUI^A *A*)

Andr. II 4, 5 (408) Orationem sperat inuenisse se

Quî differat te. (Quì *ex* Qua C^2D, Qua *P. Donatus,* Qui *Eugraphius*)

Aul. pr. 14 Agri reliquit ei non magnum modum,

Quo cum labore magno et misere uiueret.

(quo *BD* (I *legi nequit*), qui *e Langianis* Bothius.)

Haut. III 1, 79 (488) ibit ad illud ilico,

Quo maxume apud te se ualere sentiet. (Qui *Calliopiani,* Quo *haud male Bentleius, Fleckeisenus, Wagnerus, Vmpfenbachius.*)

Restat, ut de locis eis, qui corrupti uidentur, disseram:

1) Merc. V 2, 48 (889) Túam amicam *Ch.* Quíd meam amicam? *Eut.* Vbi sit, égo scio. *Ch.* Tune obsecro? *Eut.* Sánam et saluam. *Ch.* Vbi eam saluam? *Eut.* *Quo* égo scio. *Ch.* Ego me máuolim.

(quo ego *B*, ego *CD; quo* Ritschelio 'ualde suspectum est'. '*quo* ist mir vollkommen unverständlich.' Mueller. Pl. Pr. p. 654. Charino interroganti: 'Vbi eam saluam (scis)?' respondet Eutychus alterum eludens 'ego uidelicet scio, tu nescis'. Pergit Charinus certam responsionem uehementer expectans atque ingemiscens: 'ego malim me scire.' Eutychus primo neque ubi sit neque quomodo se habeat respondere uult: id quod ex eo apparet, quod et Charinus non his de rebus rogat, sed, num *ille* reuera certior factus sit, et quod ipse Eutychus etiam paulo ante non 'ubi sit' confirmauit, sed id tantum egit, ut alterum irritaret atque lacesseret, cum statim quaedam de ualetudine addat. Quam ob rem cum Eutychum *ubi sit* respondere non desideres, nihil aliud restat, nisi ut *quo* uoculam deleas, praesertim cum neque metrum neque sensus obstet.

2) Aul. II 8, 7 (375) Abeo illim iratus, quoniam nihil est *quî* emam.

Mendum inesse censeo, quoniam neque hiatus inter *quî* et *emam* ferri potest neque sensus: Euclio narrat se ad macellum uenisse atque multa licitatum esse: tamen 'cara omnia fuerunt, atque mihi eo cariora, quod mihi aes non erat'. Versus insequens (7) idem exprimit, nam 'nihil est *quî* emam' significat: 'nulla res est, *cuius ope* emam' uel 'nullum argentum est *quo* emam'. Quare proposuerim: 'nihil est, *unde* emam'. Nam *quî* eo facilius in contextum potuit induci, quod et ueteres grammatici et editores *quî* uocem particula *unde* comparata atque apposita declarare opinati sunt.

3) Aliud uitium inest in

Poen. III 2, 10. Quam hi sunt, qui, si nihil est *quîcum* litigent, lites emunt.

(quicum litigent *A solus*, litium *BCP*, lites emunt *A*, lites semunt *BC*, lites serunt *P*); ubi si Palatinos sequimur, *qui, si nihil est* ⟨*ipsis*⟩ *litium, lites emunt* legendum est ita ut *quicum litigent* a redactore A codicis additum sit; sin A codicem — id quod praetulerim — cum *nihil quicum litigent* pro *nihil de quo litigent* dici nequeat, *nemost, quîcum* uel potius *non est, quîcum.*

II. C. De *quî* pronominis usu indefinito.[1])

Quî forma pro pronomine indefinito utrum usurpata esset necne, cum per longum tempus uiri docti dubitassent (Reisig-Haase, adn. 221), magni momenti fuerunt ea, quae Fleckeisenus in *Miscellaneis criticis* (Lipsiae 1864) conscripsit, ubi, cum de *atqui* uerba faceret, ostendit, *quî* per se usurpatum saepius occurrere apud Plautum pro particula affirmatiua.

Constat simplicem formam *quî*, genuina instrumentalis modalis significatione debilitata atque adeo amissa (conf. graeca πῄ, πώς) enclitice coniungi particulis (Corss. Voc. II 836) uelut: *numquî*, sim. Praeterea *quî* praebent formae a pronominibus indefinitis deductae, uelut *aliquî*. — *Alioquî* et *ceteroquî* apud priscos scriptores non memini me usquam legere.[2])

1) *ecquî*:

Aul. pr. 16 Coepi obseruare, *ecquî* maiorem filius Mihi honorem haberet, quam eius habuisset pater. — Mil. IV 2, 3 (993) Stich. I 1, 32 (32).[3])

---

1) Conf. Lorenzium ad Pseud. 1260; 'krit. Anhang' ad Pseud. 1274; Lindemannum ad Capt. III 4, 21; Brixium ad Capt. 550; Wagnerum ad Aul. 346, ad Haut. 538; Spengelium ad Andr. 148; Vssingium ad Amph. 769 p. 311; Handii Turs. II 354.

2) Conf. quae conscripsi in progr. schol. Carolsr. (1878) 'de *quîn* particulae apud pr. scr. Lat. usu' p. 9. — Restat, ut commemorem, formas *atqui, nequiquam, quippe, que, quidem* me omnino non tractaturum.

3) In Amph. I 3, 9 (507) *ecquî*, quod Spengelius (T. M. Pl. p. 22) proponit, non mihi probatur (conf. Beckerum l. c. p. 292).

Contra accusatiuum *ecquid* inueni: Mil. IV 3, 13 (1106). IV 3, 18 (1111). Pseud. I 3, 136 (370). Poen. I 2, 114. Truc. II 6, 24. Andr. V 2, 30 (871).

2) *numquî*:

Pseud. I 2, 83 (219) *Numquî* quoipiamst tuorum tua opera hodie conseruorum Nitidiusculum caput? — (Bacch. IV 4, 18 (668) *Numqui* tibi nummi exciderunt, ere, quod sic terram ⟨tacens⟩ Obtuere? *numqui* uidetur nominatiuus esse.) — *numqui minus*: Pseud. I 2, 27 (160). Rud. I 3, 35 (218). III 4, 31 (736). IV 3, 81 (1020). Ad. V 3, 14 (800).

3) *siquî*:

Aul. II 5, 14 (338) Turba istic nulla tibi erit, *si quî* uti uoles, Domo abs te adferto, ne operam perdas poscere. (si quid *BJ*.) — Rud. III 6, 53 (891). Trin. I 2, 83 (120). Enn. (ed. Vahlen. p. 38) ann. 246. — *si qui minus*: Cas. V 4, 19. — *si qui magis*: Enn. (Ribb. trag. p. 61) 320. — Accedit Cas. IV 3, 9. Quid si etiam offendam hymenaeum, *siquî* citius prodeant. (QUIDSIETIAMSIOFFENDAM KYMENAEUMSIQUI[ci]TIUSPRODEANT *A*, Quid si etiam offendam himeneum .... *J*, occentem *Pylades Geppertus*, sitque pulcra hymnodia *coniecit Gepp*.)

si quid: Epid. II 2, 94 (279) et Epid. V 2, 64 (729), quo quidem loco Goetzius cum Bothio edidit:

Oro te, Epidice, Mihi ut ignoscas, *si qui* inprudens culpa peccaui mea.

Tamen cum ABJFZ *si quid* exhibeant, a librorum memoria non recedendum censeo, nisi forte alteram quam Bothius proponit lectionem *si quid culpa inprudens peccaui mea* praefers. Accedit quod nusquam inueni *peccare aliquo modo*: Aul. IV 10, 62 (785): ut si *quid* ego erga te inprudens peccaui. Cas. IV 4, 6: ubi *tantillum* peccassit! Cist. II 1, 41 propter te *haec* pecco. Epid. IV 2, 23 (593): *Numquid* ego ibi, pater, peccaui? Bacch. IV 9, 114 (1037) si *quid* peccatum siet. Truc. IV 3, 12: et *quid* peccaui scio. Truc. V 7 si *quid* peccaui prius. — Conf. Brixium ad Capt. 123.

si qua extat: Aul. II 4, 22 (299). Cist. I 3, 35. Pacuu. (Ribb. trag. p. 89) 100. Pomp. Bon. (Ribb. com. p. 242) 114. Inc. inc. (Ribb. trag. p. 247) 90. — *ni qua*: Afran. (Ribb. com. p. 209) 343.

4) *utquî*:

Bacch. II 3, 49 (283) Adeo me fuisse fungum, *utqui* illi crederem. — As. III 1, 2 (505). Capt. III 4, 21 (553). Curc. II 1, 3 (218). Trin. III 2, 11 (637).

5) *nequî*:

Capt. III 5, 80 (738) Atque hunc me uelle dicite ita curarier, *Nequi* deterius huic sit, quam quoi pessumest. — Rud. IV 1, 5 (896). Truc. I 1, 39.

nequâ (uia): Ad. IV 4, 18 (626).

6) *hercle quî*:

Merc. II 3, 77 (412) *Hercle quî* tu recte dicis. — Merc. V 4,

47 (1007). Men. II 3, 74 (428). Men. V 9, 33 (1092). Most. III 2, 139 (824). Pseud. I 5, 58 (473). Stich. IV 1, 53 (559). Poen. IV 2, 88. Trin. II 4, 63 (464).

7) *edepol quî*:

Pers. IV 4, 15 (564) *Edepol quî* quom hanc magis contemplo, magis placet. — Amph. II 2, 144 (776). Mil. III 1, 184 (779).

8) *ecastor quî*:

As. V 2, 80 (930) *Ecastor quî* subrupturum pallam promisit tibi.

9) *at pol quî*:

As. IV 2, 14 (823) *at pol quî* dixti rectius. — Amph. II 2, 73 (705). Rud. IV 3, 9 (946).

10) *quippe quî*:

Aul. II 5, 22 (346) Horum tibi istic nihil eueniet, *quippe quî* Vbi quid subripias nihil est. — Rud. II 3, 53 (384) Truc. I 1, 49. Bacch. III 1, 2 (369). Haut. III 2, 27 (538), ubi Maduigius (aduers. crit. II p. 16), cui adsentitur Cauallinus, iniuria ueretur ne scribi debeat *Quippini?* — Inter *quippe* et *quî* interpositum est *ego*: Pseud. V 1, 29 (1274).

Praeterea *quî* praebent formae a compositis pronominibus indefinitis deductae hae:

11) *aliquî*:

Aul. prol. 24 ea mihi cotidie Aut ture aut uino aut *aliquî* semper supplicat. — Most. I 3, 18 (174). Mil. IV 4, 45 (1182). Truc. V 30. 31. Pers. II 2, 10 (192).

aliquo: aliquo modo: Epid. III 1, 10 (331). III 1, 13 (334). Most. II 1, 74 (421). Men. I 1, 8 (84). Pseud. III 1, 21 (787). Stich. IV 2, 41 (621). Ad. III 4, 23 (469) — aliquo pacto: Bacch. III 6, 27 (556). Rud. IV 5, 4 (1194). Haut. IV 4, 13 (735) — aliquo auxilio: Rud. I 4, 37 (257) — in aliquo loco: Rud. II 7, 17 (575) — aliquo in celebri fano: Lucil. XXX 67 — aliquo ex exordio: Lucil. XXIX 81.

aliqua: aliqua ope: Epid. I 2, 49 (152) — aliqua parte: Laber. (Ribb. com. p. 300) 146 — in parte aliqua: Eun. V 8, 25 (1055) — aliquâ (loci): Epid. I 1, 90 (100). Epid. III 1, 10 (331). Mil. II 2, 66 (221) — aliquâ (sc. ratione): Epid. I 2, 49 (152). Merc. II 2, 62 (334). Pseud. I 3, 83 (317). Phorm. V 1, 19 (746). IV 1, 19 (585). Ad. II 4, 19 (283).

12) *quîque, quîquî*:

Men. III 3, 25 (549) Haec me curaturum dicito, Vt, quantum possit, *quîque* liceant, ueneant. Men. V 9, 97 (1159) omnia Venibunt, *quiqui* licebunt, praesenti pecunia. Fragm. Hort.: Praeco ibi adsit cum corona, *quique* liceat, ueniat (quique *Scaliger* cuique *Festus*,).

Quîque ablatiuum subesse uult Muellerus (Pl. Pr. p. 61. 139) tribus his locis:

Most. I 3, 97 (254) *Suon quicque locost?* uide capillum, satin compositust commode?

(*Sic Acidalio duce Ritschelius ex Nonio, itidem Lorenzius.* Suo qui-

que loco uiden capillus satis compositust commode *libri,* quidque *pro* quique *'ex codd. antiquis' affert Pius.)*

Titin. (Ribb. com. p. 152) 130 Verrite <mi> aedis, spargite, munde facite in *suo quidque loco* ut sita sint.

(mi *addidit Buechelerus*; spargite, munde *Ritschelius*; spargite munde (mude *cod.*) *uulgo*; quîque *Ribbeckius,* quisque *cod.,* quaeque *ed. pr.*)

Poen. V 4, 5 Tanta ibi copia uenustatum aderat, in *suo quicque loco* sita munde. (quicque *A,* quique *BCD,* quoque *P*; cuique *haud recte Geppertus,* quaeque *Pareus.*)

Quîque ablatiui forma pro *quoque* ideo ferri potest, quod ablatiuus locis laudatis nominatiuo respondet *quisque:* Titinio, qui Terentio aequalis fuit, utrum antiquiorem formam iure Ribbeckius concesserit necne, dubius sum. Tamen alia est causa, quare ablatiuum prorsus reiciam. Legentem enim ea, quae praeter ceteros Lachmannus (Lucret. p. 94) docet, non fugiet, rectissime hanc pronominis attractionem adhiberi, ubi *suo quoque loco* formulam certum quoddam subiectum, quod dicitur, praecedat. Conf. Varr. r. r. I 7, 2: quod quaecumque *suo quoque loco* sunt posita. Idem r. r. I 22, 6: omnia certo *suo quoque loco* ad uillam seposita. In Titiniano autem uersu et in Mostellariae nisi de *quicque* cogitas, desideratur subiectum: quare utroque loco *quidque* flagitatur *nominatiuus.* Tertio Poenuli loco, quo *quîque* ferri possit, libri dissentiunt neque est, cur *quicque* A codicis memoriam reiciamus.

Eadem est ratio in Cat. r. r. 5: 'uti suo *quisque* loco cubet', ubi de *quîque* nemo cogitauit.

De loco Naeuiano (Ribb. trag. p. 14) 61: Neminem uidi, qui numero sciret *quidque* scito opust (quique *cod.*), quo usus syntacticus accusatiuum flagitat, conf. Muellerum ('Nachtr.' p. 31).

quoquo: quoquo modo: Men. V 2, 74 (827) — quoquo pacto: Ad. III 2, 44 (342).

quaqua (loci): Epid. V 2, 9 (674). Mil. II 1, 14 (92).

quaque (loci): Naeu. (Ribb. trag. p. 9) 22: *quaque* incedunt, omnis aruas opterunt. (quaque *libri,* quaqua *Mercerius,* quacunque *Vossius*).

usque quaque: (loci): Most. III 2, 79 (766). Poen. pr. 105. Rud. V 2, 7 (1294). Afran. (Ribb. com. p. 189) 198. Cat. (ed. Iord. p. 36) 20. 21. — (temporis): Bacch. IV 4, 83 (735). Mil. IV 3, 41 (1134). Inc. inc. (Ribb. trag. p. 246) 78.

quacumque (sc. uia): Afran. (Ribb. com. p. 186) 178.

13) *quîpiam* formam suo iure reiecerunt Brixius (ad Capt.[2] u. 123), Lorenzius (ad Pseud. 247. 356). Loci quibus de *quîpiam* cogitabatur (Fleckeisen. l. c. p. 9. Lorenz. ad Mil. 430, ad Most. 242) nominatiuum *quispiam* (Mil. II 5, 21 (431) exhibent uel accusatiuum *quidpiam* (Capt. I 2, 18 (127). Curc. I 1, 52 (52). Cas. III 5, 38. Pseud. I 3, 22 (253). Pseud. I 3, 134 (368); conf. Andr. II 6, 7 (438). Hec. III 2, 14 (349).

quâpiam: quapiam ex re: Eun. V 2, 34 (873).

14) *quiquam* nullo loco inuenitur: Brixium enim sequor, qui Most. I 3, 99 (256): 'Vah, quid illa pote peius *quicquam* muliere memorarier?' *quicquam* suo iure defendit a Ritschelio et Lorenzio (ad Most. 242). Conf. As. I 1, 105 (118) Non esse seruos peior hoc quisquam potest. Conf. etiam As. I 2, 20 (146). Phorm. V 9, 20 (1009).

quaquam (sc. ratione): Aul. I 2, 24 (102).

Ne quid desideretur, ablatiuos ceterorum pronominum indefinitorum, quae *quî* formam non praebeant, nunc colligam:

Quolibet cruciatu: Hec. V 2, 7 (773) — qualibet (sc. uia): Aul. IV 4, 20 (639). Most. III 2, 122 (809) — in conclaui *quodam*: Trin. I 2, 114 (151) — *quouis* pacto: Amph. III 3, 24 (979). As. I 3, 27 (179) — quouis modo: Cas. II 4, 22 — quouis exitio: Cist. IV 1, 11. Pacuu. (Ribb. trag. p. 113) 288 — quouis malo: Haut. I 1, 83 (135) — quouis die: Ad. V 3, 43 (829) — quouis bolo: Lucil. XXIX 82 — in quouis loco: Andr. IV 3, 3 (718) — honore quouis: Haut. IV 3, 9 (687) — ex quauis olea: Cat. r. r. III 4.

qua — *qua* (conf. Kvicalam, l. c. p. 111): As. I 1, 83 (96). Mil. IV 3, 20 (1113). Mil. IV 9, 15 (1392). Men. IV 2, 103 (666). Trin. IV 3, 37 (1044). Inc. inc. (Ribb. com. p. 117) 27.

Agamus denique de corruptis locis Poen. III 1, 33 et III 2, 11.

Poen. III 1, 33 Sed tamen quomodocumque, quamquam sumus pauperculi,
Est domi, quod edimus; ne nos tam contemptim conteras.

(quo meo quom qui qui quam quam sumus *B*, quo meo cum cui quam quam sumus *CD*, quomodocumque *P*). Sensus autem est hic: Agorastocles aduocatos, qui nimis tarde eum sequuntur, uehementer incusans: 'At', inquit, 'si ad prandium uos ducerem, uinceretis ceruum cursu!' Tum illi: 'At uero non iusta causa est, quo curratur celeriter, ubi edas de alieno, quod numquam reddas? Sed tamen quamquam pauperculi sumus, nobis domi est, quod edamus: ne nos tam contemptim conteras!'

Proposuerunt Geppertus:

Sed tamen quomodocumque ⟨atque⟩ quamquam sumus pauperculi,

Kochius:

Sed tamen quomodocumque ⟨nobis⟩ quamquam sumus pauperculi;

audacter Muellerus (Pl. Pr. p. 203 adn. 1):

Sed tamen, quom nemo uocat nos, quamquam sumus pauperculi.

Quae cum mihi non probentur, ad librorum auctoritatem reuertar. Nec tamen BCD sic tuear, ut intellegamus: 'quamquam cum eo cum quîquî (sc. sumus), pauperculi sumus; tamen nobis domi est, quod edimus' atque proponamus:

Sed tamen cum eo cum quîquî quamquam sumus pauperculi,

id quod sermoni Plautino uel usui syntactico repugnare mihi uidetur.

Comparandus autem est, cum ea, quae in libris leguntur, mirum in modum congruant, Poen. III 2, 11, ubi Milphio aduocatos illudit atque, cum: 'Di te perdant!' dixerint, respondet: 'Vos quidem hercle perdant!' ad quae deleniens uerba sua addit: 'tamen et bene et benigne facitis, cum ero amanti operam datis.' Pareus edidit:

Adu. Di te perdant! *Mi.* uos quidem hercle; conmendo: quiqui tamen

Et bene et benigne facitis, cum ero amanti operam datis.

(CUM-ODUMQUIQUITAMEN *A*, quo meo quom qui quitamen *D*, quo meo quum qui qui tamen *B*; Vos quidem hercle quomodocumque qui tamen *Kochius* (*ann. phil. CVII (1873) p. 242*), Vos quidem hercle commodum quiqui tamen *Geppertus.* Poeta haud scio an Milphionem iocose eadem uerba faciat loquentem, quibus supra usi sunt aduocati! Versum autem quem litteris omnibus seruatis sic possis legere:

'Di te perdant! # Vos quidem hercle cum eo, cum quîquî (sc. estis) tamen Bene e. q. s.' cum non defenderim, tamen etiam hoc loco *quiqui* formam eruam, quae cum Plauti iam temporibus ex usu euanesceret eamque ob causam parum recte intellegeretur, ut utrumque locum librarii corrumperent, facile effecit. *Quomodocumque* autem, quod P priore loco exhibet, glossema uidetur ab interprete quodam ad *quîquî* adscriptum. Ex litterarum in A codice traditarum similitudine facillime *commodum* eruit Geppertus genuinam quae uidetur lectionem: Nam cum in archetypo esset *commodum*, nota M litterae paululum suo loco mota, ex CÕMODUM factum est CUMÕDUM: librarii autem, cum *m̃o* significet *meo*, falso litteris dissolutis scripserunt: *cum eo cum.* Gepperti emendationi sensus minime repugnat. Collatis enim eis exemplis, quibus *commodum* tamquam aduerbium temporis prorsus in sermonem uulgarem descendit, uelut Trin. II 3, 9 (400) (Brixius ad h. l.: 'Adv. grade recht, opportune') etiam nostris locis quin defendi possit non dubitauerim: nam re uera tale quid desideratur. Altero igitur loco Geppertum sequamur, ubi Milphio: 'Vos quidem', inquit, 'hercle di perdant!' Iam ipse sese interrumpens: 'commodum (h. e. 'eben, zur rechten Zeit') quiquî tamen, bene et benigne facitis eqs.' Eadem ratione nescio an Plautus priore loco scripserit: Sed tamen commodum ⟨nunc⟩ quîquî quamquam sumus pauperculi. ('Haben wir doch eben jetzt in jeder Weise zu Hause wovon wir leben können, obgleich wir arm sind.')

Restat ut paucis dicam, *quî* formasque eas, quae cum *quî* compositae sunt, notionem exhibere *instrumentalem modalem* atque pro *substantiuis* omnibus locis usurpari. *Quo* et *qua* ablatiui adiectiua sunt.

Omnibus quotquot sunt exemplis accuratius perlustratis ea, quae cognouimus, paucis complectar, ut ex usu cum forma compa-

rato, qualis sit *quî* uoculae origo atque natura, facilius possis intellegere.

Quî cum pro substantiuo usurpetur, nullo loco adiectiuorum more substantiuis adicitur, nisi eis, quorum nominatiuo *quis, quid*, non *qui, quae, quod* pronomina adponuntur. Quo ex usu uerisimile fit, *quî* ex *quĭ* — stirpe deriuandum esse.

Meri *ablatiui* uices, ita ut ad *unde* notionem accedat, nusquam suscipit: illis pronominibus exceptis, quibus ablatiuus in —*o* uel —*a* desinens plane deest.

Quî *locatiuum* esse ne uno quidem loco compertum habemus, cum *ubi* uocabuli significatione careat.

Omnibus fere locis exhibet notionem *instrumentalem* ita ut possit subesse etiam *ablatiui* notio. In memoriam reuoco *quî* aduerbium interrogatiuum, quod et *quomodo* et *quare* significat. Mera instrumentalis uis occurrit, ubi idem est atque *quomodo*, deinde ubi ad aduerbii uel coniunctionis usum accedit, tum in *quicum* formula.

Caput tertium.

Quodsi neque usu discernitur, utrum *quî instrumentalis* sit an *ablatiuus*, neque forma, utrum *locatiuus* an *ablatiuus* sit, nostrum est quaerere, qua ratione forma cum usu consentiat, atque enumerare ea, quae uiri docti hac de re excogitarunt.[1])

Grammatici ueteres Latini quamuis elaborarint in cognoscenda huius uoculae natura, tantum afuit, ut uerum intellegerent, ut eam omnes probarent sententiam, quam, ut exemplo utar, Cledonius his uerbis expressit (Keil., gr. L. V p. 15, 19): '*A quo* uel *a qui* ablatiuus singularis duplex est, cuius talis est regula, qua et ablatiuum pluralem duplicem *a quis* uel *a quibus*, sicut *a docto doctis;* ab eo quod est *a qui* facit *a quibus*, sicut *a nobili nobilibus*'. Conf. etiam Palaemonis artem (Keil., gr. L. V. p. 541, 24). Quae usque ad nostrum saeculum sunt prolata, ea in medio relinquentes, proponamus, quae multo subtilius disputarunt uiri docti ei, qui linguis Indogermanicis inter se comparatis, quae ablatiuo qui dicitur casu comprehenduntur tres functiones locatiui, instrumentalis, ablatiui proprii discreuerunt. Tamen, quamquam multo certiora potuerunt concludi, tantum in diuersas partes discedunt sententiae, ut *quî* alii ablatiuum, alii locatiuum, alii instrumentalem principio fuisse dicant.

Ritschelius cum *quî* formam ablatiuum solet nominare, causas non addit, neque uidetur de ablatiuo proprio cogitasse. Affirmat, tres illos casus ita promiscue Plauti temporibus usurpari, ut nulla formae distinctio concedatur. 'Neue Plaut. Exc.' p. 11: 'Nur dass selbstverständlich von der dreifachen Scheidung eines Locatiuus, Instrumentalis und eigentlichen Ablatiuus, welche uns die vergleichende Sprachforschung als das ursprünglichste gelehrt hat, hier

1) Nihil proficiunt Vanicekius, Zehetmayrus, alii.

keine Rede sein kann, vielmehr diese Casus schon frühzeitig sich dergestalt vermischt hatten und in Eins zusammengeflossen waren, dass auch bei localer oder instrumentaler Bedeutung ein ablatiuisches *D* gar keine Verwunderung erregen darf'. Quae uerba recte, ut uidetur, uituperat Bergkius ('Beitr.' I p. 72. 73). Conf. etiam M. Muellerum in annal. phil. CXIII (1876) p. 700.

Iam ab iis initium capiamus uiris doctis, qui *qui instrumentalem* esse censent, quorum ne quid dubii in hac quaestione resideat, uerba ipsa adferam. Velut O. Kellerus ('Syntact. Studien z. griech. und latein. Casuslehre'. Z. f. G. W. XXVI (1872) p. 433): 'Im Graecoitalischen trifft man nur noch wenige äussere Spuren des einst sehr üblichen Casus (Instrumentalis), — — im Latein. den ausgesprochenen Instr. des Relativ-, Interrogativ- und Indefinitivpronomens *qui*, z. B. Ennius: date ferrum *qui* me anima priuem '*mittelst welches*', also reiner Instrumentalis (ebenso Pacuu. p. 84). Den Sociatiuus haben wir in *quicum* (Pacuu. p. 76), den modalen Instr. in *quin, alioqui, ceteroqui, nequiquam*.' His uerbis Kellerum ostendisse et forma et usu *qui* instrumentalem esse non consentio: id quod Antonio in studiis ad grammaticam Latinam collatis uisum est ('*Stud. z. lat. Gr. u. Stil.*' Erfurt 1873. Heft II p. 80). Immo uero Kellerus mihi uidetur, quam Bergkius, ('Beitr.' I. p. 120) protulit sententiam, qui *quî* formam esse instrumentalem conicit, pro uera accepisse: 'Im Auslaute hat das (phonetische) *N* sich in *tamen* statt *tame* (verkürzt *tam, tametsi*) ganz befestigt; anderwärts finden sich Doppelformen, wie *atqui atquin, alioqui alioquin, ceteroqui ceteroquin*, eqs. Allerdings lassen sich diese Doppelformen auch auf andere Weise erklären, denn, wenn wir *quî* als Instrumentalis betrachten, war die alte Form *quim*, die dann in *quin* überging und endlich zu *qui* abgeschwächt wurde. Allein in *tamen* ist der rein phonetische Zusatz des *N*... unverkennbar' (conf. ibidem p. 55). Priore quaestione, utrum in exeunte uoce *qui* agglutinata sit *n* littera necne (ut in *tamen* pro *tame* posito) integra relicta mihi dicendum est de eo, quod altero loco edidit: *quî* fortasse instrumentalem esse. Quod cum proferat, retro — ut ita dicam — conicere uidetur ex *qui* formam *quin*, ex *quin quim*. *Quim* antiquam formam utrum formam natiuam intellegat necne, quaeretur. Atque Bergkius ipse (l. c. p. 15. p. 22) ex *qui—bhi* ait *quî* esse deriuandum. Quod cur reiciam, triplex est causa: 1) nulla omnino extat causa, cur *qui—bhi* (uel *quim*) alteram compositionis partem abiecerit 2) *quim* mutari non potuit in *quin*, quia *—m* in exitu uerborum positum in lingua Latina nusquam in *—n* litteram mutatur; 3) accedit, quod *—n* in exitu uerborum non tollitur. — Addo Ribbeckium ('Lat. Partik.' p. 14) *qui* instrumentalem nominare, causas tamen, quare id censeat, non addere.

Quae quidem opinio hoc argumento refellitur, quod in lingua Latina instrumentalis uestigia omnino non extant atque quae in *—bhi* litteras exeunt formae *locatiuo* potius attribuendae sunt.

Quaeritur, qui casus partes instrumentalis euanescentis susceperint. Priore autem loco cum de *ablatiuo* agamus, longum est exempla undique colligere: *Ablatiuus instrumentalis*, qui dicitur, nonne satis confirmat, ablatiuum instrumentalis, qui deest, partes fere explere?[1]) Conferas etiam aduerbia ea, quae in —*o* exeunt, uelut *raro, falso.* Quae cum *ablatiui* sint *proprii,* contra permulta ea, quae —*e* litteram praebent extremam, *locatiuos* esse constat, uelut *longe, recte.*[2]) Vterque igitur casus cum instrumentalis munere fungatur, singulas nunc persequar sententias.

Velut Haaseus (Reisig-Haase § 125 adn. 221): '*Qui*', inquit, 'ist der Locativ, freilich, soweit uns der Gebrauch des Worts noch vorliegt, nicht ganz in dem Sinne, in welchem dieser Casus von Weissenborn jetzt in der lat. Syntax eingeführt ist, s. § 120 fg. Benary, Roem. Lautlehre p. 97 eqs.' Relicta hac sententia, quae ex forma, non ex usu petita ea non dissoluit quae inter se repugnant, ad Schleicherum transeam, qui in eandem fere sententiam ('Compend.' § 264) loquitur: In *hei—ce, hei—c hi—c* 'hier' und *quei, quī,* die auf aelteres **hoi, *quoi* weisen, ligen vielleicht loc. sg. nach nominaler art gebildet vor'. Tamen Corsseni uerbis, quae infra cognoscemus, commotus addidit, usu quidem syntactico commendari, *quî* ablatiuum esse. Deinde Buechelerus in libello de declinatione edito (p. 63; conf. p. 59): 'Locativus', inquit, 'des Relativpronomens ist *quei, qui*, in adverbialem Gebrauch bei Fragen *qui fit,* beim Ausruf *hercle qui,* in *atqui* und sonst, als Casus für den Ablativ in *qui praesente* und

1) Conf. praeter ceteros Buechelerum Grundriss d. l. Decl. p. 3 (Delbrueckium l. c. p. 50), Boppium (Vergl. Gramm. II³ p. 213 § 393): 'Auf den Stamm *ki* stützt sich . . . *qui* in den Fällen wenigstens, wo es als Ablativ zu fassen ist, und wirklich *ablative, oder, was dasselbe ist, instrumentale Bedeutung* hat, da das instrumentale Verhältniss im Lateinischen durch den Ablativ vertreten wird. Dagegen ist das scheinbar analoge *hî — c* 'hier' seiner Bedeutung nach stets ein Locativ und seiner Bildung nach ein Dativ, nach Analogie von *illî, istî* etc. (aus *illoi, istoi* I p. 346), wozu die localen Adverbia *illî—c, istî—c* stimmen'. De simili significationum commutatione, quam in Sanscrita lingua obseruauit, conf. Boppium (l. c. I³ p. 354 sq. § 183a): 'Vom Verhältnisse 'woher' wird der Ablativ im Sanskrit auch auf das ursächliche Verhältniss übertragen, indem das, warum etwas geschieht, als Ort aufgefasst wird, von dem eine Handlung ausgeht. Auf diese Weise berühren sich die Gebiete des Ablativs und des Instrumentalis, und *téna* und *tásmât* können beide deshalb ausdrücken. In adverbialischem Gebrauch greift der Ablativ noch weiter um sich, und bezeichnet an einigen Wörtern Verhältnisse, die sonst dem Ablativ fremd sind. Im Griechischen mögen die Adverbia auf ως als Schwesterformen des skr. Ablativs angesehen werden . . . . . . Das Verhältniss in den Adverbien auf —ως ist dasselbe, wie das von lateinischen Ablativformen, wie *hoc modo, quo modo, raro, perpetuo*'.

2) Conferantur Bergkius l. c. p. 18; M. Bréal. 'Tabl. Eugub.' p. 363, ubi aduerbia in —*e* exeuntia, '*qui sont probablement d'anciens locatifs*' comparat cum formis *nesimei* (proxime), *eri—hont* (ibidem), este (ita) eqs. — De *facilumed* M. Muellerus (l. c. 702): 'f. anstatt facilumod erregt den Verdacht des Künstlichen'.

besonders häufig *quicum* für alle Genera, eqs.' Cur locatiuus sit, causam non addit, excepta illa incerta, quae ex forma petitur: id quod eo displicet, quod aduerbia in —*e* desinentia *ablatiuos* interpretatur. (l. c. p. 49). Itaque Corssenus *quî ablatiuum* esse et affirmat et defendit (Voc. I p. 777) his fere uerbis:

'Völlig grundlos ist es, das Adverbium *quî* für einen Locativ auszugeben (Büchelerus p. 63). *Quí* erscheint an unzweideutigen Stellen als männlicher und weiblicher Ablativ des Pronominalstammes *quĭ*—, zu dem *quĭ-s, que-m* u. a. gehören (Verf. krit. Nachtr. p. 92 sqq.) mit dem Sinne von *quô* und *quâ; quícum* steht für *quô-cum* wie für *quâ-cum*, *quî praesente* für *quo praesente* (Neue, Formenlehre II 166 sq. — Verf. Z. f. vgl. Spr. XVI 304).' Quo loco quae conscripserat, acrius etiam et accuratius exposuit, ubi Buecheleri libellum supra laudatum recensuit (Z. f. vgl. Spr. XVI 304): 'Das Adverbium ‚*quî*, wie', das man bisher für einen Ablativ hielt, erklärt der Verfasser für eine Locativform. Grade der Gebrauch in der Frage *quî fit?* weist nun aber darauf hin, dass *quî* Ablativ des fragenden und indefiniten Pronominalstammes *qui* ist, der auch gelegentlich relativ verwandt wird. Das bestätigen ja auch die Verbindungen *qui praesente* und *quicum*, wo *quĭ*— unleugbar Ablativ ist, während der Verfasser hier zu Gunsten seiner Hypothese einen Locativ-Ablativus-absolutus und eine Construction von *cum* mit dem Locativ annimmt. Wo findet sich sonst im Lateinischen davon irgend eine Spur?' Concedo Buechelerum argumentis non satis confirmare, quare *quî* locatiuum interpretetur: tamen non obliuiscendum est eum de notione locatiui seruata (ut de *locatiuo-ablatiuo-absoluto,* sim.) nihil addidisse, immo uero dixisse, *quî* casum *ablatiui loco* usurpari, eqs. Desideramus uero, qua ratione notio locatiua abierit in instrumentalis uel ablatiui notionem. Priusquam tamen accuratius inquiram, utrum Corssenus recte iudicarit necne, de Wichmanno dicam, qui (l. c. p. 6), 'quamuis *quoi* locatiuum esse posse concedat,' [1]) tamen *quî* ablatiuum 'alio modo faciliore et probabiliore' interpretari uult. 'Quis autem', inquit, 'miretur, cum *qui* et *ques*, *quom* et *quem, quis* et *quibus,* forsitan *quorum* et *quium* declinata esse uideat, si in ablatiuo quoque duplex formandi ratio adhibita est, unde *quo* e *quŏ* themate ut *seruō* e *seruŏ*, *quī* e *quĭ* themate ut *puppī* e *puppĭ* profecta sunt. Quid? si iuxta *quo* alia forma etiam desiderata est! Nam cum pronomina interrogatiuum et indefinitum substantiue et adiectiue posita sint, num extra rationem est, si data facultate et substantiuus ablatiuus *qui* ab adiectiuo *quo* seiunctus est?... Procul dubio autem haec sententia esset, si alia quaestio (de *quīd* statuendo) nobis faueret.' Relicta hac deriuandi ratione, quae Cledonium (conf. p. 512) in memoriam nobis reuocat, exempla perlustrat, parum tamen

1) Conf. p. 2, ubi falso de Buechelero rettulit: 'Nostrae aetatis uiri docti *qui* ablatiuum pronominum interrogatiui et indefiniti et relatiui esse ... probant aduersario Buechelero, qui in adumbr. decl. lat. p. 63 locatiuum *e datiuo leuiter immutatum putat*' (conf. Buech. l. c. p. 59).

diligenter collecta[1]): priore loco ea, quibus *qui* aut in structura ablatiui absoluti adhibitum est aut cum praepositionibus, quae ablatiuum exigunt, coniunctum (quare *qua ab, ex aliquo,* sim. dixerit poeta, non exponit), altero ea, quibus *qui* 'relatiuum particula est *unde* ualens et ex interrogatiuis enuntiatis in relatiua transiit'. Hoc quod iterum ac saepius repetit '*quî* atque *unde* promiscue usurpari', quam falso concluserit, supra iam attigi. Manifestum est ex singulis libelli partibus, illum ex praesumpta opinione proficisci uariasque significationes in suam opinionem detorquere. Exemplis collectis et dispositis '*Quî*,' inquit, 'proprius ablatiuus pronominum interrogatiui et indefiniti substantiuorum est et *unde* particulae notionem significans a relatiuis quoque enuntiatis acceptum est. Cum praepositione *cum* adeo coaluit, ut *quîcum* compositum etiam relatiuo sensu usurpatum sit.' Superuacaneum est repetere causas, propter quas totam hanc explicationem reicio: id quod ex iis intellegas licet, quae in singulis huius libelli partibus demonstraui.

Quae cum ita sint, neminem fugiet, causas adhuc nullas esse allatas, quibus cogamur de *qui* aut locatiuo aut ablatiuo disceptare.

Tamen *quî* interpretor *locatiuum.*

Non ignoro, linguae Plautinae *qui* locatiuum plane deesse: id quod uersus Epid. III 3, 2. 3 (383. 384): Non oris causa modo homines aequom fuit, Sibi habere speculum, *ubi* os contemplarent suom, Sed *qui* perspicere possent . . . uel Bacch. I 1, 51 (84) Da tu *quî* bene sit, ego, *ubi* sit, tibi locum lepidum dabo — satis demonstrant, quibus *quî* uocula iuxta *ubi* posita non locum, sed instrumentum significat.[2])

Tamen hoc non impedit, quominus de *qui* locatiuo cogitemus. Locatiui, ut *sic*, ut aduerbia permulta illa in —*e* exeuntia, nonne adeo in instrumentalis modalis usum abierunt, ut significationem genuinam omnino non recognoscas? Atque extant loci, quibus, quamuis difficilis uideatur ad disceptandum, haec quaestio disceptetur; extant loci, quibus demonstretur, *quî ablatiuum* esse non posse.

Cognouimus supra locos nonnullos, qui *quî* exhibent cum praepositionibus coniunctum. Vidimus *cum* unicam esse praepositionem, ad quam *qui* et interrogatiuum et relatiuum struatur. *Quîcum* autem primis temporibus forma fuit singularis: quam magis magisque inde a Plauto *quocum, quacum, quibuscum* suo loco mouerunt. Constat *cum* praepositionem in linguis Indogermanicis cum instrumentali sociatiuo coniungi: quam lingua Latina, cui instrumentalis deest, dum

---

1) Vt exemplo utar, ubi de *quî* agit in interrogatione posito, locos XLIII praetermisit.

2) Versus denique Truc. I 2, 38: Rem perdidi apud uos: uos meum negotium abstulistis. Si rem seruassem: fuit, *ubi* negotiosus essem. — uel: Haut. IV 6, 9 (813) Huius modi mihi res semper comminiscere, *Vbi* me excarnufices! — quibus *ubi* locatiuus propius accedere uidetur ad *qui* notionem instrumentalem, alia interpretatione non carebunt: docere possint ne *ubi* quidem ab instrumentali notione alienum esse.

casuum singulorum origo respiciebatur, non cum ablatiuo proprio, sed cum locatiuo coniunxit. Nam cum praepositio ea, de qua agimus, *societatem* significet, strui non potuit ad casum eum, qui *separationem* exprimit, ad *ablatiuum proprium.* Negari autem non potest, futurum fuisse, ut sermo a se ipso descisceret, si *cum* cum ablatiuo coniunxisset: id quod ex eo demum tempore fieri potuisse manifestum est, ex quo uis atque natura ablatiui non iam intellegebatur, ex quo instrumentalis et locatiuus et ablatiuus inter se confundebantur.[1]) Dixerit fortasse quispiam: si prisci scriptores praepositionem *cum* non nisi ad locatiuum *quî* struxerint, eas nos praepositiones, quae *ablatiuum proprium* exigunt, non nisi cum *ablatiuis quo, qua* inuenturos esse. Et profecto *a quî, de quî, ex quî* nusquam neque apud Plautum neque apud ceteros priscos scriptores leguntur: *a quo, a qua, de quo* eqs. leguntur. Conf. supra p. 481 sq. Ac ne forte credas, *a quiquam* iis quae dixi repugnare: satis enim supra demonstratum est, formas *quoquam* sim. Plauto inauditas fuisse: ex quo factum est ut locatiuus *quî* locum obtineret *ablatiui,* qui deest, pronominis *quisquam.*

Satis mihi demonstrasse uideor, quomodo 'locatiuo *quî* uis instrumentalis et raro quidem ablatiui proprii tribueretur, qui usus semel acceptus breui in usum communem transiit: id quod ex *quocum,* sim. intellegas licet.

Itaque censeo *quî* locatiuum esse, qui, postquam genuinam locatiui uim amiserit, apud priscos scriptores *localis modalis* exhibeatur. Quae uis modalis cum nusquam desideraretur, facile factum est, ut pro *ablatiuo instrumentali,* qui dicitur, quin etiam pro ablatiuo proprio *quis, quid* pronominis usurparetur: praesertim cum *quî* substantiuum sit neque ullo loco tamquam adiectiuum cum substantiuis componatur.

Hoc unum addo, *quîd* formam omnino non extitisse: nam neque —*d* littera nisi ablatiuorum erat neque quo tempore *quî* nouam quam exposui significationem occupauit, addi solebat. Itaque *quôd* et *quâd* formae quamuis prioribus temporibus uerae atque usitatae fuerint, *quid* contra prorsus reiciendum esse censeo; et ut alii aliis de causis *quid* formam, quam ablatiuum esse opinati sunt, non receperunt, sic equidem hanc ob causam censeo eos errasse, qui ad sanandos uersus *quîd* formam sermoni Plautino obtrudi posse arbitrati sint.

Quaerentem, quo tempore pronominum Latinorum ablatiuus —*d* litteram abiecerit, docent exempla a uiris doctis ex inscriptionibus collecta, post Plauti mortem —*d* suffixum uix esse reseruatum.

Med, ted ac fortasse etiam *sed* formas a Plauto esse usurpatas uiri docti consentiunt. Dissentiunt de ceteris pronominibus. Ex his constituere conatus est primus Bergkius (Phil. XIV 185; ann.

1) Exempla alia quae locatiuum et instrumentalem inter se confundi docent, u. praeter ceteros apud Delbrueckium l. c. p. 54 (3 b), 29, 41 sq.

phil. LXXXIII (1861) p. 501) *quôd*, *quîd* formas, deinde ipse de eisdem formis dubitauit ('Beitr.' p. 53), postquam Ritschelius, 'liberiore animi impetu in dias luminis oras euolans' uersus undique congessit *—d* suffixo sanandos. Longius tamen processit O. Ribbeckius in altera tragicorum editione, ubi causis nullis additis ad Accium (p. 146, 84) adnotat: '*obstinatod* in tragoedia etiam tum auditum esse statuo'. Eademque ratione *quôd* concedit Publilio Syro (sent. 129).[1])

Congeramus nunc exempla, in quibus *quîd* inesse uoluerunt uiri docti. Loci, quos e Ritschelii libello supra laudato transtuli, hi sunt:

Pseud. I 3, 136 (370) *Numquid* alium me etiam uoltis dicere? # Ecquid te pudet? (numquid aliud mi *cum libris bene Bergkius l. c. p. 54; Muellerus 'Pl. Pr.' p. 599; 'Nachtr.' p. 31; Corssen. 'Voc.' II 457 adn.*)

Epid. II 2, 94 (279) nisi *quid* tuast Secus sententia. (*De* quid *accusatiuo* u. Bergkium l. c. p. 54; Corss. l. c. II p. 458 adn.; Luchsium 'Quaest. metr.' p. 25; quidem *Muellerus 'Nachtr.' p. 32, conf. 'Pl. Pr.' p. 555.*)

Poen. V 2, 96 *quid* potuit fieri? (quî *Pareus Bergkius, conf. Muellerum,* 'Nachtr.' p. 33).

Dubitanter *de quîd* uel *de quôd* proposuit: Poen. III 1, 32, ubi *de quoio* restituerunt Bergkius et Buggeus. Ipse de *nominatiuo* cogitat Amph. II 2, 87 (719). Libris inuitis addit Aul. II 8, 7 (375). Pseud. I 3, 111 (349). — Bergkius dubitanter addit (p. 55. 163): Bacch. V 2, 38 (1157). Merc. V 2, 62 (902). Pers. II 2, 10 (192). Conferas etiam Stich. IV 2, 17 (597). Merc. III 1, 4 (502). Pers. IV 4, 109 (661).[2])

Manifestum est, inter omnes hos locos, qui ex uno Plauto petiti sunt, ne unum quidem esse, quin ab uno alteroue temptatus sit, quia legibus artis grammaticae repugnaret: ego in ipsa forma *quîd* offendo.

Longe alia est ratio *quôd*, *quâd* formarum: quas quamuis apud priscos scriptores detestemur, tamen non est, cur falso conformatas existimemus. Addo in lingua Osca *pôd* (h. e. *quôd*) formam duobus locis seruatam esse (Enderis. l. c. p. 46).

Ritschelius *quôd* proposuit (l. c. p. 58):

Trin. I 1, 13 (35) quam id *quod* prosint pluribus. (quod *ABCD*) accusatiuum esse demonstrat Muellerus 'Nachtr.' p. 31.

Trin. III 3, 78 (807) Diem conficimus *quod* iam properatost opus. (Idem Bergkius l. c. p. 57; *quod* accusatiuum esse uult Muellerus

---

1) De Buthii dissertatione 'de ablatiui casus formis Plautinis' conscripta adsentior Lorenzio (Jahresber. I (1873) p. 360 sq.).

2) Eodem iure *quîd* potest conici in uersibus, quos uiri docti non attulerunt, his: Poen. V 5, 43 '*Quid* tibi lubidost?' ubi pro *quid* (A) recte O. Seyffertus cum Palatinis *quî* scripsit (Philol. XXIX p. 392 adn.). Pseud. IV 1, 21 (930) '*Quî* potest?' quid *BCD*, qui id *Pareus*, conf. Poen. IV 2, 70; Men. V 9, 61 (1120).

l. c.; Fleckeisenus et Brixius bene *quom*. Conf. Brixii append. crit. ad h. l. p. 126, Luebberti stud. gramm. II p. 119). Bergkius dubitanter addit Cist. I 2, 7. Cas. III 3, 24. Poen. V, 7, 33.

Quâd Ritschelius libris inuitis proposuit: As. III 1, 33 (536). Truc. pr. 9.

Aliae pronominum formae, uelut *eod, ead,* cum apud Plautum non legantur, statuo in omnibus his exemplis ne unam quidem formam inesse, quae certa fide pro ablatiuo accipiatur. Dixerit quispiam, librarios, qui nullam *d* litterae notionem tenerent, paullatim formas —*d* ornatas e contextu sustulisse, cum fabulas sermoni suae aetatis accommodarent, ut ei soli loci remanerent in libris, qui cum alia ratione possent intellegi non offenderent: tamen Muellerus ('Nachtr.' p. 31 sq. 73 sq.) permagnam congessit errorum copiam, quibus confirmatur saepissime librarios *quid, quod, quo*, alias formas inter se confudisse. Promitto, si placeat, etiam ex aliis scriptoribus eadem me petiturum peccata! Terentium —*d* suffixum omnino non nosse Ritschelius ipse concedit: hunc euoluamus: Eun. V 8, 4 (1034): *Quid* hic laetus est? (Qui[d] *F.* Qui *E*) Eun. IV 3, 15 (637) *Qui* istuc facere eunuchus potuit? (quid *F*). Phorm. II, 2, 16 (330) *Qui* istuc? (Quid *BCF*) Ad. II 3, 3 (256). *quid* ego nunc te laudem? (qui *ex* quid *C*, qui *B*). Ad. V 3, 14 (800) *numqui* minus Mihi idem ius aequomst esse? (NUMQUI[d] *A*, d *add. corr. rec.*, numquid *Calliop.*)

Restat, ut quaeramus, quae exempla in inscriptionibus tradita sint. Atque inueni pronominum formas has —*d* littera finitas: *aruorsum ead:* C. I. L. I n. 196 in SC. de Bacch. (a. 186 a. Chr. n.); *ead* accusatiuum esse contra Ritschelium uult Corssenus ('Voc.' II 456, conf. I p. 196); *quodcirca:* C. I. L. I n. 198, 13; *quod* accusatiuum esse contendit Corssenus (l. c. I p. 197 adn., II 457; conf. etiam Bergkium l. c. p. 56), de ablatiuo cogitant Ritschelius (l. c. p. 57), Buechelerus (l. c. p. 48); *eod die* in titulo sacro prope Spoletium nuperrime reperto legi Studemundus mecum communicauit. — Contra *quo* legitur: I n. 197, 8 in tab. Bant. (133 — 118 a. Chr. n.); *qua:* I n. 33 in t. Scip. 204 — 164 a. Chr. n.); *sua:* I n. 1175 in t. Scip. (154 — 134 a. Chr. n.). Quae cum ita sint, consentimus cum Muellero ('Nachtr.' p. 73 sq.) et Corsseno (l. c.) et G. Wagnero ('Jahresber.' I (1873) p. 433): 'Es ist ganz sicher, dass dieses Ablativ-*d*, wenn überhaupt vor 184 v. Chr. noch zulässig, schon 159 v. Chr. verschwunden war' — atque ex pronominibus Plauto concedimus *med, ted* ac fortasse *sed*; *quôd, quâd* reicimus: quamquam eorum naturae —*d* littera non repugnat, tamen signo expressam fuisse negamus; *quîd* forma omnino non extat.

Ex quibus apparet, quid de ceteris exemplis, quae uiri docti congesserunt, iudicandum esse censeamus:

Enn. ann. 239: Haece locutus uocat *quocum* bene saepe libenter. Mensam . . . partit (*quodcum* codices Gellii XII 4, probatum Ritschelio (l. c. p. 55 sq. p. 103): 'Dass das quodcum der Gelliushandschriften

trotzdem nicht über allen Zweifel erhaben ist, ist eine Sache für sich' et Bergkio (l. c. p. 36), qui primus hanc formam notauit, quamquam paucis uersibus post traditum est *quocum multa uolutat.* Buechelerus, qui *quodcum* tuetur (p. 47) commotus *quodcirca* forma simillima, uituperatur ab Vsenero (Mus. Rhen. XXIV 113), qui cum censeat *quodcum* ex *quoquom* esse corruptum, tamen causam quare formam illam reiciat non addit, atque a Corsseno qui *quodcirca* accusatiuum continere demonstrauit ('Voc.' I p. 197). Atque cum *quocum* comprobem, liceat in memoriam reuocare ea, quibus Bergkius priori suae sententiae ipse repugnat (p. 32): 'Bei Verbindungen mit Präpositionen, wie *de*, *ex*, *ab*, *in* konnte man das Suffixum am leichtesten entbehren, die Beziehung war auch so klar eqs.'. De *cum* praepositione nonne idem ualet? Idem sic pergit: 'Wenn Fulvius auf den Inschriften seiner Weihgeschenke nach dem Aetol. Kriege die alte Ablativform nicht mehr kennt, so wird wohl auch Ennius, der Freund und Begleiter des Fulvius in diesem Feldzuge, jenen Archaismus nicht mehr geduldet haben.' Denique cum ostenderim, *quícum* fuisse formam genuinam, nonne potius *quícum* expectamus formam antiquiorem quam *quôdcum?* Nec enim dubito, quin eo tempore quo *d* suffixum ablatiuo addi solebat, unica fuerit forma *quîcum*: *quocum* in usum cum receptum est, —*d* littera in exeuntibus pronominibus relatiuis iam inaudita fuit. De *quodcum* igitur cum cogitari non possit, *quocum* scribendum est.

Pacuu. (Ribb. trag. p. 104) 225: Quid tandem? ubi ea est? *quod* receptast? # Exul incerta uagat.

(quod *libri*, *quod uidetur Ribbeckio* quôd; 'quod ist sicherlich nur Schreibfehler' *bene Bergkius l. c. p. 75*).

Titin. (Ribb. com. p. 140) 46: Desueui ne quod ad cenam iret extra consilium meum.

(quod *Leid. Par. P*, quo *ceteri libri, etiam Leid. 116*, quid *Aldina*; quôd *Ribbeckius*, quo *restituit Wagnerus* ('Jahresber.' I p. 435).

Titin. (Ribb. com. p. 156) 165: Obstrudulenti ⟨da⟩ aliquid, *quod* pectam sedens.

(quôd *Ribbeckius, Ritschelius* (Mus. Rhen. XXIV p. 485); quod peredam sedens *Wagnerus* (l. c. p. 436): quo *Hermannus*.)

Cat. r. r. 156: Eo indito salis micam quasi eruum, et cumini fricti tantum, *quod* oleat.

(Ablatiuum, non nominatiuum esse contendit Bergkius l. c. p. 58.)

Commemoro denique Dziatzkonem in editione Phormionis *quôd* etiam in formula *quod utinam* [I 3, 5 (157)] Terentio tribuere.

Locos hos undique congestos quisquis perlegerit, eum non fugiet, id quod Ritschelius et inprimis Bergkius de Plauto eiusque aequalibus statuerint, magis magisque extra modum et produxisse et producere uiros doctos. Qui uero scriptoribus post Plauti mortem —*d* concedunt, nonne antiquitatis uestigia aestimant eadem, quae supra ex Terentianis fabulis congessi peccata?

Mirum autem uidetur, Bergkium ('Beitr.' p. 72.) de *quid* cogitasse instrumentali, quippe qui Ritschelii uerba de casibus inter se confusis uituperauerit. Ita enim separauit lingua Latina et ablatiuum proprium et locatiuum, ut nullum adhuc extet locatiui (ut instrumentalem praetermittam) exemplum — *d* ablatiui suffixo auctum (conf. Max. Muellerum in annal. phil. CXIII 702), nisi quod ex eis temporibus petitum est, quibus, ut uetustatis color inscriptionibus adderetur, 'omnibus paene uocibus uocali littera finitis' *d* littera adiungebatur.[1])

1) Lingua Osca, cum ceterae dialecti —*d* in exeunte ablatiuo omnino non conseruarent (Corss. 'Voc.' I² p. 203 sq.), —*d* suffixum seruare solebat. Itaque factum esse uidetur, ut ad similitudinem aduerbiorum in *o* desinentium —*d* etiam eis aduerbiis adderetur, quae propria sua natura locatiui sunt. Legimus *peid, pid,* in quo *quî*, de quo agimus, facili negotio recognoscas, conf. Ebelium (Kuhn, Z. f. vgl. Spr. V 416), Toblerum (ib. VII 375), Schererum ('Zur Gesch. d. d. Spr.' p. 365). Idem statuendum est de *amprufid* (improbe) et *serevkid* (solide: quod antea *iussu* Enderis (l. c. p. 49) dubitantur interpretatus est; conf. Corssenum in ephem. epigr. II 167).

Locorum qui tractantur conspectus: